BIBLIOTHECA
AUGUSTANA,
COMPLECTENS
NOTITIAS VARIAS
DE VITA ET SCRIPTIS
ERUDITORUM,
QUOS
AVGVSTA VINDELICA
ORBI LITTERATO
VEL DEDIT VEL ALUIT.

Congeſſit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH
Auguſtanus, Bibliopola.

Alphabetum II.



AUGUSTÆ VINDELICÆ.
SUMPTIBUS AUCTORIS.
MDCCLXXXVI.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Annus abiit, ex quo *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabetum I.* in lucem emiſi. Hoc ut litterato orbi non omnino diſplicere (*a*) vidi, mox ad continuandos labores meos alacriorem animum ſumpſi. Siſto itaque Tibi, æque ac benevole Lector!

)(2 *Alpha-*

(*a*) Modeſte admodum ac temperate de memorato *Alphabeto I.* judicavit *Cenſor Jenenſis* (Vide *Auszug aus der allgemeinen Litteratur-Zeitung. Freytags, den* 20. *Julius.* 1785.) in præcipua parte laudis meæ reponens, quod, quæ in medium profero, certiſſimis auctoritatibus confirmem, & Operum, quæ Scriptores a me laudati conſcripſere, catalogum quam accuratiſſimum texam. Laudat deinde idem Notitias de *Vito* BILDIO, CASPARO Abbato *Roggenburgenſi*, *Joanne* FABRO, *Joanne* FABRI, *Jacobo* HENRICHMANNO, *Hieronymo Ambroſio* LANGENMANTEL, *Chriſtophoro* MARIANO, *Joanne* PINICIANO, *Georgio* REMO, *Gereone* SAILLERO, *Corbiniano* THOMAS, UDALSCALCO. Et, quanquam optet, utinam in ſeligendis Scriptoribus ſeveriore criſi uſus eſſem, mox tameu ſubdit: *Doch in ein gelehrtes Augſpurg gehört ſo gut, als in ein gelehrtes Deutſchland alles, was je Feder und Dinten zu einem Gedichthen oder einer Predigt verbraucht hat.*

Cenſor

Alphabetum II. ejuſdem *Bibliothecæ*, quod ferme totum *Notitiæ* de *Bernardo* & *Conrado* ADELMANNIS *de Adelmansfelden*, *Hieremia* DREXELIO Jeſuita celeberrimo, *Matthæo* MARSCHALLO *de Biberbach & Pappenheim* cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ Canonico doctiſſimo, *Marco* VELSERO ſummi nominis Viro, ceteriſque ex ea nobiliſſima fami-

Cenſor quidam *Norimbergenſis* (Vide *Nürnbergiſche Gelehrte Zeitung*, 80. *XXXIX. Stuck.*) ex *Alphabeto I. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ* laudare non dubitavit ſequentes: *Vitum* BILDIUM, *Joannem* FABRI, *Georgium* LÆTUM, *Joannem* PINICIANUM, *Georgium* REMUM, *Corbinianum* THOMAS, UDALSCALCUM, PEUTINGEROS AC PEUTINGERAS, item *Supplementa* ad meam *Diatriben de Origine & Incrementis Artis typographicæ in Urbe Auguſta Vindelica.* Acriter autem in me invectus eſt is ipſe, quodScriptores nonnullos inferioris ſubſellii laudavi. At in hoc non feci ego, præterquam quod ab aliis *Bibliothecarum* conditoribus, nec illiteratis nec illaudatis, diu ante me factum novi. Sic *Jacobus* QUETIF & ECHARD: ſic *Joannes Felix* OSSINGER: ſic *Philippus* ALLEGAMBE: ſic *Philippus* ARGELATI, aliique complures multos minoris notæ Scriptores ſuis in *Bibliothecis* commemorarunt. Juvat de hac re exempli gratia nonnullos audire. ARGELATUS in Præfatione ad *Tomum I. Bibliothecæ Mediolanenſis* dicit: *Tanta Scriptorum copia Bibliothecam in duas partes diſtribuere, me coegit, quarum prima illuſtrium nomina continet eorumque Scripta: ſecunda ceterorum, quos* minoris notæ *appellatos volui, non ſemper ab ingenio aut Operis præſtantia, ſed aliquando ab exiguo pretio materiæ, vel numero rerum, quæ ab* Auto-

familia *Viris* ac *Fœminis* litteratis implent. Reliquos Scriptores, a me inſertos, paucos admodum, aut ætas, aut natalium claritudo geſtaque dignitas, denique inferius in *Nota* allegatæ rationes facile excuſabunr.

In *Conrado* ADELMANNO IV. *Epiſtolas anecdotas* ab eo ad *Vitum* BILDIUM Monachum *San-Udalricanum*, *Auguſtæ*, ſcriptas: in *Matthæo* MARSCHALLO *Excerpta* ab

 eo

Auctoribus ſuis ſcriptæ aut ſervatæ poſteritati fuerunt... Et *Tomo II.* p. 1827. idem ait: *Supereſt nunc, ut, quam fieri poteſt, breviſſime eos quoque recenſeamus, qui* minoris notæ *exiſtimantur. Mirum tibi non ſit, Lector humaniſſime! ubi in quosdam ex his offenderis, ob Epiſtolam tantum & Carmina, aut ſimile quid memoratos. Primum enim ſi de his agatur, qui typographica arte nondum inventa floruere, ipſa antiquitatis commendatione laudantur... Deinde cum nobis non licuerit, alios ſilentio involvere, de quibus tam Philippus* PICINELLUS, *quam Paulus* MORIGGIA *atque Bartholomæus* CURTIUS *meminere... (Delicatuli nempe & ad Criticam nimis proclives objicere forſitan mihi... potuiſſent, hos Auctores, etſi rerum parvi momenti, non rejiciendos fore e coetu Mediolanenſium) boni te conſulturum judicavimus, ſi ... hos quoque laudabimus.* Idem, quod ARGELATUS, diu ante monuit ALLEGAMBIUS, in *Præfatione I.* ad *Bibliothecam Scriptorum Societatis Jeſu* inquiens: *Tametſi nonnullos recenſeo, qui perpauca aut etiam in ſpeciem exigua evulgarunt; id tamen facio, tum ne quenquam ſuæ induſtriæ ac laboris laude fraudem, tum vero ac maxime propter Scriptoris dignitatem, & quoniam, quæ minima prima fronte videntur, utilitate, ſi bene introſpiciantur, ſunt maxima.* Et in

Præfa-

eo *ex libro antiquo Librariæ S. Mauricii Auguſtæ* pariter inedita inſerui, quæ tibi dividiæ haud fore putavi. In *Conrado* PEUTINGERO habes *Addenda & Emendanda* ad *Vitam ejus*, ſeorſum a me editam.

Vale, & conatibus meis annue. Scribebam *Auguſtæ Vindelicorum*, die 19. Februarii, MDCCLXXXVI.

Præfatione II. ait: *Multos recenſui, qui pauca quædam ediderunt in lucem, unam v. g. duas aut tres Orationes, vel quid ſimile. Sed id a me factum eſt tum* RIBADENEIRÆ *exemplo, tum auctoritate Scriptorum externorum, qui ſuis in Catalogis referunt; tum ne quid huic Catalogo deeſſet, quoad ego quidem aſſequi poſſem, quod ab ullo poſſet deſiderari... Et cur ego rejicerem a Catalogo Societatis eos, qui Societatis ipſius nomen in ſuarum fronte lucubrationum præſeferebant.* Iterum alius Scriptor in *Præfatione* ad *Bibliothecam* ſuam memorabilia hæc verba ponit: *Novimus & in alienis Bibliothecis magna cum parvis commiſceri; quoniam & meſſis abundans non æqualia undique ex cunctis ſpicis grana colligit ac congregat.* Trium horum Eruditorum auctoritatibus adde Lector! ſententiam Cenſoris *Jenenſis*, ſuperius allegatam, & rem confectam habes. Cetera, quæ idem *Cenſor Norimbergenſis* Cenſuræ ſuæ immiſcuit abſurdiſſima, & ad rem nullatenus pertinentia, quicunque bonus legit, certe & improbavit. Hinc illa, amicorum plurium conſilium ſequens aptiſſimum, contemnenda potius quam refellenda duco.

Laudes vero, quas iidem amici mei in memoratum *Alphabetum I.* ſive ſcriptim ſive verbatim contulerunt, & quibus me ad proſequendos, quos cæperam, labores exſtimularunt, hoc loco referre modeſtiæ leges vetant.

Nomi-

Nomina eorum,

qui hoc ALPHABETO II. continentur.

	Pag.
ADELMANN (*Bernardus*) de Adelmansfelden -	1
ADELMANN (*Conradus*) de Adelmansfelden -	17
Hujus Epiſtolæ IV. anecdotæ ad *Vitum* BILDIUM inſeruntur, *pag.* 24.	
BISSELIUS (*Dominicus*) Can. Reg. - - -	27
CÆSAR (*Joannes*) - -	29
CÆSAR (*Joannes*) - -	30
Incidunt ibi nonnulla de *Wolf. Dieter.* CÆSARE, *pag.* 31.	
CÆSAR (*Pius Felix*) J.V. Doctor. - - - -	32
CÆSAR (*Theophilus*) -	33
DREXELIUS (*Hieremias*) Soc. Jeſu. - - -	33
GRUEBER (*Joann. Georg.*) Can. Reg. - -	69
HERMANNUS Ord. Prædicat. *Sæculo XIV.* -	71
IMHOF (*Auguſtinus*) Patritius Auguſtanus, Can. Reg. Præpoſitus.	72
KAYSER V. CÆSAR.	
KISTLER (*Ignatius*) Can. Reg. - - - - -	79
MARSCHALLUS (*Matthæus*) de Biberbach & Pappenheim - -	84
Inſeruntur ab eo EXCERPTA *ex antiquo Libro ex Libraria S. Mauricii Auguſtæ. pag.* 106.	
MARTIN (*Alipius*) Can. Reg. - - - - - -	80
MUZENHART (*Antonius*) Can. Reg. - - -	80
PANZAU (*Octavianus*) Can. Reg. - - -	77
PEUTINGER (*Conradus*) JCtus - - - - -	114
REHLINGEN (*Sebaſtianus a*) Patritius Auguſtanus, Can. Reg. Præpoſitus. - - -	118
SCHRECKENFUCHSIUS (*Alexander*) - - -	122
SCHRECKENFUCHSIUS (*Joann. Bartholom.*) -	123
VANNIUS (*Udalricus*) -	124
VELSERIA (*Margaritha*)	127
VELSERIA (*Philippina*) -	131
VELSERUS (*Antonius*) Societatis Jeſu. - -	138
VELSERUS (*Antonius*) Præpoſitus Eccleſiæ Friſingenſis. - - -	147
VELSERUS (*Chriſtophorus*)	155
VELSERUS (*Marcus*) Duumvir Auguſtanus	159
VELSERUS (*Matthæus*) -	228
VELSERUS (*Paulus*) -	229



ADEL-

Digitized by Google

ADELMANN (*Bernardus*)

Nobili juxta ac pervetuſta ADELMANNORUM *ab Adelmansfelden*, hoc nominis a pago ad *Kocheram* fluvium ſito ducentium, liberorum *Baronum* (*a*) proſapia anno 1457. (*) ortus eſt *Noſter*. Patrem habuit teſte *Gabriele* BUCELINO (*b*) *Georgium* ADELMANN *ab Adelmansfelden* in *Seckingen*: matrem *Brigidam a* LEONROD, copioſa ſobole fæcundos. De adoleſcentia *Bernardi* fere nihil conſtat, præterquam quod *Joannis* REUCHLINI inſtitutionibus, haud dubie in Gymnaſio *Tubingenſi*; uſus ſit: quod ipſe de ſe in *Epiſtola*, anno 1490. IV. Nonas Novembr. ad REUCHLINUM data fatetur (*c*) his verbis: *Facis ... more præceptorum, Vir optime! qui non parum laudis ſibi ex diſcipulorum ſuorum profectu uſurpare ſolent... Ego quidem meipſum intus & in cute novi, ac hoc unum ſcio, me nihil ſcire; neque te, a quo imbutus ſum, ac prima (ut ita dicam) elementa hauſi, culpaverim.* E tanti magiſtri diſciplina tyrocinioque quantus prodierit *Bernar-*

(*a*) De hac illuſtri familia vide *Gabr.* BUCELINI *Germaniam ſtemmato-graphicam, Tom. II. Frid. Jac.* BEYSCHLAGII *Syllogen &c. Tom. I. Faſc. II. p.* 434.

(*) Colligo iſtud ex Epiſtola *Noſtri* (extante inter *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria*, *p.* 149.) data Ao. 1517. 24. Februar. in qua ſe fere *ſexagenarium* eſſe dicit.

(*b*) Vide BUCELINUM *l. c.* & *Mart.* CRUSIUM in *Annal. ſuevic. Dodec. III. p.* 556.

(*c*) Extat hæc inter *Illuſtrium Virorum Epiſtolas ad Jo.* REUCHLINUM. 4o. *Hagenoæ*, 1519. excuſas.

Bernardus, conjicere pronum eſt; etiamſi alia deeſſent omnia, quibus ejus doctrina atque eruditio comprobetur. Junior ſtudiorum (quod minime dubito) cauſſa *Romæ* (**) moratus eſt, ut ipſe iterum in mox citata *Epiſtola* prodit: Neque iſtud ſolum urbis & orbis Archi-gymnaſium, ſed reliqua etiam in hac Europæ parte extantia Muſarum emporia viſitata a ſe fuiſſe, haud obſcure innuit in alia *Epiſtola* ad REUCHLINUM data VI. Nonas Octobres, 1484. (*d*), ubi in hæc verba loquitur: *Cum nuper apud fratrem meum... Conradum... eſſem, varius nobis ſermo tum de bonarum litterarum... ſtudiis, tum etiam de Gymnaſiis noſtris præſtantiaque eorum erat. Nam cum ego ſeu ſtudio contradicendi, ſeu potius amore veri Italiæ palæſtras... tanquam nutrices auctores, opificesque optimarum artium, non modo Germanicis ante, verum etiam totius orbis, poſuiſſem, frater... hoc ægre tulit, conatusque eſt Tubingen veſtrum Italicis academiis conferre; modo humanarum litterarum ſtudia iſtic non adeo fugerent.* Quantum vero jam tum bonarum litterarum, præcipue linguæ latinæ, cauſa cupiverit *Noſter*, eademmet *Epiſtola* patefecit, in qua non tantum de neceſſitate utilitateque earum fuſe agit, ſed REUCHLINUM quoque verbis, quibus poterat, ſignificantiſſimis obteſtatur, *ut viris ſtudioſis, liberaliumque artium cupidis ſubveniret.... Principique... EBERHARDO... ſummo ſtudio, cura, opera, induſtria, diligentia ... perſuaderet, neminem unquam ad verum cognitionem*

rerum

(**) Ibi in nonnullis libris HOMERI emiſſe ſeſe *Nicolai de* VALLE Verſionem *Iliadis* ejusdem HOMERI, teſtatur ipſe in Epiſt. ad REUCHLINUM, anno 1490. data.

(*d*) Invenitur hæc in mox citato Libro: *Illuſtr. Viror. Epiſtolæ ad Jo.* REUCHLINUM. 4°.

rerum pervenire poſſe , niſi inprimis hisce rudimentis . . . vacaverit.

Hoc modo cum inter litterarum ſtudia adoleviſſet *Noſter*, ſtatui ſeſe clericali mancipavit; cumque expeditam ad dignitates eccleſiaſticas viam claræ originis ergo haberet , tum *Eichſtettenſis* (*e*) tum *Auguſtanæ* Eccleſiæ cathedralis Canonicus eſt effectus. Et *Auguſtanæ* quidem Eccleſiæ Canonicos inter *Noſtrum* ad annum 1498. lego apud *Corbinianum* KHAMMIUM (*f*), qui ipſe *Bernardum*, mox memorato anno , *Præpoſiti* quoque *S. Gertrudis*, *Auguſtæ*, dignitatem accepiſſe teſtatum reliquit. Auctore eodem KHAMMIO *Noſtrum* anno 1505. *Scholaſtici* cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* honore auctum fuiſſe diſcimus (g). *Eichſtadii* vero *Noſtrum* perenne ſuæ in Proximum charitatis monimentum , fundato in eum finem *Gerontocomio* , poſt ſe reliquiſſe , tradit *Gabr.* BUCELINUS (*h*). Diu autem ante , quam in ſumma æde *Auguſtana* Canonici dignitatem conſequeretur , ſimili honore

(*e*) Teſtatur hoc *Gabr.* BUCELINUS *l. c.*

(*f*) In *Hierarchia auguſtana* , *P.* 1. *cathedr. p.* 611.

(g) *Ibidem* , & *P. II. collegial. p.* 86.

(*h*) In *Germania ſtemmato - graphica*, *Tom. II.* Ceterum in iſto *Gerontocomio* , *germanice* BRUDERHAUSS. ex fundatoris mente aluntur 12. Viri ſive ob provectam ætatem , ſive ob corporis imbecillitatem labori impares. quos vulgus lingua vernacula *Brudermänner* appellat. Portæ hujus *Gerontocomii* inſcriptum legere eſt : *Has ædes Bernhardus Adelmann de Adelmansfelden Canonicus Eychſtettenſis vivus erexit , ac piis uſibus dicavit.* Supra fores autem *Granarii* ad memoratum *Gerontocomium* pertinentis habentur ſequentia : *Bernhard Adelmann von Adelmansfelden Thumbherr Stifter &c. im Jar unſers Herrn* 1521.

Der Kaſt zu Ehren Gotts gebauen iſt,
Und Troſt dem Armen zu aller Friſt.

in *Eichſtettenſi* Eccleſia ornatum fuiſſe *Noſtrum* invenio; etenim jam anno 1492. Kalend. Septembr. ab Epiſcopo *Eichſtettenſi*, *Guilielmo de* REICHENAU, ad HENRICUM VI. *Angliæ* regem, cum Hiſtoriis ac Reliquiis *Wilibaldi*, *Wunibaldi*, & *Richardi* miſſus eſt, quas idem rex, in civitate *Cantuarienſi*, in Templo Salvatoris IX. Kalend. Octobris a *Bernardo* ſumma cum veneratione ſuſcepit. Quæ legatio, *Noſtro* certe perhonorifica, eo minus revocari in dubium poterit, quo luculentius eam litteris traditam ipſe *Bernardus* ſua inter ſcripta poſteris tranſmiſit (*i*). Majus huic narrationi pondus a dignitate *Cuſtodis* dictæ Eccleſiæ *Eichſtettenſis* accederet, ſi eam *Noſter* vere geſſiſſet, uti quidam Scriptores voluerunt, ſeducti allegato a *Jo. Henrico a* FALCKENSTEIN in *Antiquit. Nordgav. continuat. Tom. II. p.* 24. Epitaphio *Noſtri*: quod cum manifeſte mendoſum deprehenſum ſit (ut inferius docebo) valde dubito, utrum iſtam dignitatem *Noſter* ſuſtinuerit?

Interea, cum ſub initia ſæculi XVI. *Auguſtæ*, duce plurimum (ut videtur) ac incentore *Conrado* PEUTINGERO quædam *Societas litteraria* (*k*) coaluiſſet, *Noſter* ſuo erga litteras amori parum ſe ſatisfacturum credidit, ſin minus ad eandem in primis nomen ſuum daret, ut hac ratione cum pluribus ejus ætatis Eruditis *Auguſtanis* operam ſumptusque conjungeret, quibus multi præſtantes libri

(*i*) Vide *Jo. Barthol.* RIEDERER *Nachrichten zur Kirchen-Geſchichte.* 8. *P. II. p.* 56.

(*k*) De hac *Societate* aliquam, etſi brevem & exilem (cum documenta deficiant) notitiam habes in *Hiſtoria Vitæ & Meritorum Conr.* PEUTINGERI poſt *Jo. Georg.* LOTTERUM a me edita *Auguſtæ*. 8°. 1783. pag. 69. 70.

bri orbi litterato, typis adminiculantibus, traderentur; de qua re conſuli debet *Præfatio*, GUNTHERI *Ligurino*, 1507. *Auguſtæ* excuſo, præfixa, ubi inter alia hæc habentur; *Marquardus de* STAIN *Eccleſiæ Bambergenſis Præpoſitus*, *Matthæus* MARSCALK, *Bernhardus & Chuonradus* ADELMANN *de Adelmansfelden Canonici*, *Chuonradus* PEUTINGER, *ac Georgius* HERBART *Auguſtani Lectori ſalutem. Venit his diebus Auguſtam Chuonradus* CELTES... *quem, cum pro noſtra ergo eum amicitia allocuti fuiſſemus, rogavimus, ut ſi aliquos libros antea nobis incognitos... reperiiſſet, ut eorum, pro ſua in omnes humanitate, copiam nobis faceret. Retulit Ligurinum quendam... ſe inveniſſe.... Adhortati igitur Chuonradum fuimus, ut exprimi formis curaret... cumque poſt aliquot tractatus ſibi cum artifice parum conveniret... verebamur, cum unicum ſolum exemplar extaret, ne aliquo iniquo ſidere jacturam, aut periculum aliquod pateretur: noſtra itaque opera & ære tandem effecimus, ut artifex ille onus ſubiret....*

Sic dum *Noſter* litteris ac litteratis ſtudere pergit, inſolens ac inexſpectatum ſtatus mutandi vitæque, quod ſupereſſet, ſpatium in monaſterio quodam *Canonicorum regularium*, *Auguſtæ*, tranſigendi conſilium capit, ita tamen ut *cum iſtis non ut profeſſus, ſed ut legitimus ſacerdos* viveret (*l*). Cauſſas, quibus ad hoc propoſitum ſuſcipiendum adductus fuerat, longiori *Epiſtola* anno 1517, 24. Februar. ſcripta, *Bilibaldo* PIRCKHAMERO, amico ſuo præcipuo, expoſuit; quas ipſas reſcire ſi cupis, Lector! adi *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria*, ubi illa *Epiſtola pag.* 149. extat. Verum,

A 3 ſuaſſo-

(*l*) Conſule Epiſtolam *Noſtri* ad *Bilibald.* PIRCKHAMERUM, inter *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria*, p. 149.

ſuaſionibus amici ſui permotus , iſtud conſilii paulo poſt abjecit, inque vocatione , qua vocatus (*m*) fuerat , permanere denuo ſecum conſtituit.

Incidit in ea tempora triſte LUTHERI ſchiſma ; cui dum incautius (*n*) favet *Noſter*, pergraves ſibi moleſtias concivit. Adverſarium acerrimum expertus eſt *Joannem* ECKIUM Canonicum *Eichſtettenſem*, Virum per ea tempora celeberrimum, *Proto-Notarium* & *Nuntium apoſtolicum in negotio Lutherano*, quocum *Noſtro* jam antea parum convenerat,uti plura *Epiſtolarum* ejus inter *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria*, *p.* 145. & *ſeqq.* extantium loca evidenter declarant: in quibus ECKIUM *ſophiſtam*, *monſtrum*, *furciferum*, *blateratorem* &c. indecentiſſime vocat, & *continuæ temulentiæ* accuſat. Maximam autem mutuæ ſimultatis cauſſam ea re præbuiſſe *Noſter* videtur, quod *Reſponſionem Canonicorum indoctorum Lutheranorum ad Joh. Eccium*, libellum omnis acrimoniæ plenum, ſcribendum imprimendumque curarit. Utcunque ſe hæc habuerint, ECKIUS, dum pontificiam adverſus *Martinum* LUTHERUM Bullam publicat, *Noſtri* nomen, una cum aliis aliorum, figere in foro, & hac ratione nigrum theta ei inurere minime dubitavit. *Bernardus* famam læſam *Appellationis* via tueri primitus decrevit, cumque *Auguſtanus* tum temporis Epiſcopus, *Chriſtophorus de* STADION, ſententiam exſequi, maxime impulſu ejusdem ECKII, vellet, Ducum *Bavariæ* patrocinio telum intentatum declinavit. Subin vero mutato conſilio, interventu conſtitu-

(*m*) Vide Epiſtolam *Noſtri* aliam ad *Bilib.* PIRCKHAMERUM, *l. c. p.* 152. 154.

(*n*) Vide Epiſtolas *Noſtri*, *l. c. p.* 168. 170. 174. 186. 191. 198.

ſtituti a ſe Procuratoris, *Sebaſtiani* ILLSUNG Clerici *Auguſtenſis*, & Juris utriusque Doctoris *Abſolutionis & Reſtitutionis beneficium ob illicitam participationem, ſeu favoris, auxilii & conſilii præſtationem cuidam Fr. Mart.* LUTHER... *forſan præſtiti, ad cautelam ſaltem*, ab ECKIO petiit, atque anno 1520. 9. Novembr. impetravit. Exemplum *Mandati* a *Noſtro*, *Sebaſtiano* ILLSUNG dati; uti & Exemplum *Abſolutionis Eckianæ* habentur in Libro *Jo. Barth.* RIEDERER *Nachrichten zur Kirchen - Geſchichte* 8. quem Librum *P. II. p.* 54. *& ſeqq.* uti & ejusdem RIEDERER *Beytrag zu den Reformations - Urkunden.* 4°. *p.* 9. *& ſeqq.* conſulere libeat, cui de hac controverſia penitius cognoſcere placet. Vide etiam *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria, in Commentat. iſagog. p.* 93. & 188.

Hac ratione e prædicta moleſtia eluctatus *Noſter*, nominisque labe, quam paſſus fuerat, abſterſa, ſeſe ab amicitia LUTHERI ſejunxit, ab eoque tuendo, & cauſſa ejus fovenda penitus abſtinuit; ita ut hiſtoria plane nihil offerat, quod *Bernardus* noſter in gratiam creditæ *Reformationis* ultra feciſſet (*o*). Sed nec diu poſthæc ſuperſtes manſit;cum ſub finem anni 1523. vitam morte commutarit. Rei hujus luculentum teſtimonium exhibent binæ Epiſtolæ *Michaelis* HUMMELBERGII, a me ad calcem *Hiſtoriæ Vitæ ac Meritorum Conr.* PEUTINGERI. 8. 1783. *p.* 199. 202. vulgatæ: Prior illarum data XIII. Kal. Januarii 1524. (i. e. 20. Decembr. 1523.) *Conradum* ADELMANNUM, de quo ſequenti paragrapho dicetur, morte fratris ſui, *Bernardi* noſtri, graviter afflictum conſolatur: Poſterior, data

A 4 XII.

(*o*) Ita teſtatur *Jo. Barth.* RIEDERER in Libro: *Beytrag zu den Reformations - Urkunden* 4. *pag.* 25.

XII. Kal. Febr. 1524. (i. e. 21. Januar. 1524.) epitaphium continet abs HUMMELBERGIO *Bernardo*, *amico* (ut *loc. cit. p.* 202. ait) *nuper vita functo*, ſcriptum. Equidem *Jo. Henr. de* FALCKENSTEIN in *Antiquit. Nordgav. continuat. P. II. p.* 24. *Noſtri* epitaphium in periſtylio Eccleſiæ cathedralis *Eichſtettenſis* adducit his verbis perſcriptum.

> *Venerandus & nobilis D. Bernhardus Adelmann ab Adelmansfelden, hujus Eccleſiæ Canonicus, & Cuſtos vitam hanc mortalem finivit anno Domini M. D. XLI. die vero nona menſis Nov. cujus anima feliciter in Domino requieſcat.*

Verum cum HUMMELBERGIUS, ut ſuperius monui, alium annum mortis *Noſtri* diſtincte annotet, neceſſario ſequitur, in epitaphium a FALCKENSTEINIO allatum, aut deſcribentis incuria, aut negligentia typographi, errorem irrepſiſſe. Inſuper epitaphii a FALCKENSTEINIO citati mendoſitas ex eo evincitur, quod *Bilib.* PIRCKHAMERUS (*p*), quem anno 1530. diem ſupremam obiiſſe in confeſſo eſt, *Noſtro* epitaphium concinnarit; qua re manifeſte conficitur, *Noſtrum* non anno 1541. ſed jam prius, atque ante annum 1530. ſupremis fatis defunctum fuiſſe. Verum haud opus eſt, longius conjecturis agere; poſtquam benivola Amici cujusdam *Eichſtettenſis* ſollertia omne mihi dubium exemit. Hic a me rogatus lapidem ſepulchralem, FALCKENSTEINIO laudatum, a ſe accurate inſpectum, nequaquam ad *Bernardum* noſtrum, ſed ad fratrem *Noſtri*, *Caſparum* ADELMANN (De hoc vide-

(*p*) Vide illius *Opera*. fol. *Francofurti* 1610. impreſſa, p. 26. ubi ſuperius memoratum epitaphium legere eſt. Conſule *J. B.* RIEDERER *Beytrag zu den Reformations-Urkunden*, p. 24. 25.

videri poterit rurſus *Gabr.* BUCELINUS in *Stemmatographia Germaniæ*, *Tom. II.*) pertinere monuit, docuitque inſuper ex *Mortuario Eichſtettenſis* Eccleſiæ, *Bernardum* noſtrum, anno 1523. 16. die Decembris morte defunctum, in ædicula *S. Sebaſtiani* a ſe fundata ſepulturam inveniſſe. Hinc, quæ ſuperius ex *Epiſtolis* HUMMELBERGII conjeci, liquido comprobari deprehendes, Lector! Atque ut dicta magis confirmentur, veriora duo Epitaphia *Noſtri* in mox nominata æde extantia hic ſubjicere placuit. Primum, in pariete Eccleſiæ lapidi inſcalptum, hoc eſt:

Poſtquam Bernardus Adelmann de Adelmansfelden Canonicus Eichſtettenſis S. Sebaſtiano ædem, Egenis hoſpitium, Sibi monumentum collocavit, obiit Anno gratiæ M. D. XXIII. die XVI. menſis Decembris. Diſce timere Deum; mortem meditare; nepotum ſpes dubia eſt, Lector! fac bene, dum ſuperes.

Alterum, ſaxo ſepulchrali circumſcriptum, ſequentis argumenti eſt:

Adelmann *de Leonrod.*

(*Inſignia*) *Anno* 1523. *am Mittwoch nach Luciæ ſtarb der erwürdig und edel Herr Bernhard Adelmann von Adelmansfelden Thumbherr zu Eichſtätt und diſes Gottshauß und Bruderhauß Stifter. Gott gnad ihm.* (*Inſignia*)

Iſtis omnibus addere Excerptum ex *Mortuario* Eccleſiæ *Eichſtettenſis*, mihi benevole communicatum, libet:

 D. Ber-

D. Bernardus Adelmann, qui circa annum 1515. *in Cantoria D. Gabrieli de* EYB *ſucceſſit, & obiit* 16. *Xbris* 1523. *Eichſtadii vigore Annotationis Calendarii de anno* 1514. *Fundator des Bruderhauß ad S. Sebaſtianum, ubi etiam ſepulturam ſuam vigore monumenti in tranſitu muro infixi elegit.*

Hæc de vita, muneribus, ac morte *Noſtri* dicta ſatis ſunto. Juvat modo ad ea enarranda aggredi, quibus is Rempublicam litterariam demeritus eſt. Statim initio hujus Tractatiunculæ paucis attigi, quantum humaniores litteras cordi habuerit *Noſter*, quamque gravibus verbis *Jo.* REUCHLINUM ſit cohortatus, ut easdem ſub auſpiciis EBERHARDI Principis *Würtembergici* modis, quibus fieri poſſet, omnibus provehere conaretur. Hinc *Jacob.* BURCKARDUS in Libro: *De Linguæ latinæ in Germania fatis*, *p.* 241. merito *Noſtrum* aliis præſtantiſſimis viris annumerat, qui ad excitanda *Germanorum* ingenia & *Germaniæ* gloriam reſtaurandam plurimum contulerunt: eodemque loco ADELMANNUM *præſtantiſſimæ eruditionis virum* vocat, & tanquam *ſummum litterarum cultorem atque fautorem a* RITTERSHUSIO *& aliis laudatum*, prædicat. Præterea *Noſter* variis eruditorum ſui ævi Virorum fœtibus in lucem typi adminiculo protrudendis curas ſumptusque impendit, eaque ratione damnum ſtudioſe reparavit, quo Rempublicam litterariam affecerat, quod illam nulla a ſe proprio Marte conſcripta lucubratione (Nullam etſi multa ſollicite rimando indagare potui) locupletarit. Itaque is: ut GUNTHERI *Ligurinum*, de quo ſuperius ſermo habitus eſt, & quotquot ære *Societatis litterariæ Auguſtanæ* procuſi ſunt, libros, ut *Reſponſionem Canonicorum indoctorum Lutheranorum* ad

ad Joh. ECKIUM præteream: inſuper *Marſilii* FICINI *Tractatum de Epidemiæ morbo* abs *Hieronymo* RITIO *Ticinenſi* anno 1516. ex Italico in Latinum converti fecit, ut hac ratione de univerſo genere humano quam optime mereretur. Civibus præcipue *Auguſtanis*, in quibus poſt paucos annos (ſcilicet 1521.) lues contagioſa magnam ſtragem edidit, acceptiſſimum & eſſe debuit, & utiliſſimum fuiſſe cenſendum eſt hoc *Noſtri* propoſitum, de quo ipſe in *Epiſtolis* ad *Bilib.* PIRCKHAMERUM (q) meminit ſequentibus: *Marſilius* FICINUS *ſcripſit ſuis Florentinis conſilium contra Peſtem vernacula lingua, quod ob Auctoris nomen communemque utilitatem in latinam linguam transferri curavi. Verum cum ignorem, an in ea translatione erratum ſit, ſi tibi otium fuerit, ac admiſeris, tibi translationem cum exemplari mittam, ut pro tua induſtria aut aliorum, ſi quos ſcientes utriusque linguæ apud te habueris, eum libellum legas, ac ſi quid emendandum eſſe cenſes, emendes....* Atque iterum: *Cum libello Marſilii de Peſte nolui te in præſentiarum moleſtare; quamvis verear, ne is, qui tranſtulit, nimium ſibi ipſi ſit ſiſus. Longobardus quoque eſt, ac ea (ut noſti) lingua non omnino cum Toſcana concordat; ob eas cauſſas hactenus diſtuli librum edere.* Hæc *Noſter* anno 1517. ad amicum ſuum. Anno vero 1518. dictum librum, haud dubie recognitum, foras emiſit, in 4to, titulo ſequenti: *Tractatus ſingularis doctiſſimi Viri Marſilii* FICINI *de Epidemiæ morbo, ex Italico in Latinum verſus.* Subſcriptio ad finem ſic ſonat: *Auguſtæ Vindelicorum in Sigismundi* GRIMM *Medici & Marci* WYRSUNG *officina excuſoria. Anno virginei partus*

(q) Invenies eas inter *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria*, p. 155. 157.

partus M. D. XVIII. ſexto Kalend. Octobres (r). Tractatui ipſi præit Epiſtola Verſoris, *Hieronymi* RITII, quam hoc loco adſuere non ineptum judico:

Reverendo & omniphariæ virtutis Viro D. Bernardo ADELMANNO *de Adelmansfelden Canonico & ſummo Scholaſtico Auguſtano Hieronymus* RITIUS (s) *Ticinenſis S.*

Etſi, Vir clariſſ. his diebus mihi ob varias rerum occupationes vix quicquam eſſet otii, ut tuo tamen deſiderio obſequium præſtarem, reliquis partim poſtpoſitis negotiis ex Tuſcho peregregium Epidemiæ libellum tuo nutu in latinum, quam potui, fideliter expreſſi: celeberrimoque nomini tuo, ne in publicum ſine tanto fautore prodiret, jure dedicandum exiſtimavi. Adde quod auditor reviſorque erit Sebaſtianus STAMLER (t) *J. V. Doctor, Canonicus Brixinenſis atque ibi D. Virginis Eccleſiæ Præpoſitus, Vir quidem eruditorum politiſſimus ac tui ſimillimus. Vos igitur, ut clementiſſimi eſtis, ſi quid minus erudite, eleganter, quam hic veſter conſpectus expoſtulat, eduxero, mihi pro veſtra ingenti humanitate veniam dabitis; non enim verborum elegantiam (quam nec rei natura in hoc ipſo dicendi genere patitur) ſed veram fidamque interpretationem curavi; quam quidem ſerena fronte accipite, ac parcite. Quaſi enim abortivus*

hic

(r) Extat hic *Tractatus Marſ.* FICINI in Bibliotheca Collegii quondam *Societatis Jeſu.*

(s) De *Hieronymo* RITIO rariores, quam fortaſſis par eſt, notitiæ exſiſtunt; quo ipſo adductus ſum, ut *Ejus* Epiſtolam integram ſupra apponerem.

(t) De Gente *Stamleriana* videri poterit, ſi placet, Periiluſtr. *Pauli a* STETTEN *junior. Geſchichte der adelich. Geſchlechter zu Augsburg*, 4°. *p.* 237.

Digitized by Google

hic factus eſt ; *ſed* , *qualis* , *veſtrum eſt mancipium* : *&* (*ut dicitur*) *mola ſalſa litant* , *qui thura non habent*. *Valete ambo* RITIIque *memores*. *Auguſtæ Vindelicæ* , *præcipiti admodum calamo* , *Idibus Maii* , *M. D. XVI.*

Hæc de *Tractatu Marſilii* FICINI. Reſtat, modo de *Epiſtolis Noſtri*, quæ ad nos usque pervenerunt, dicere. Sunt illæ:

I. *Epiſtolæ II. ad Joannem* REUCHLINUM; *prior*, data ex *Steten* , *vel Aurelia potius*, VI. Nonas Octobres, Anno ſalutis M. CCCC. LXXXIIII. *poſterior* , data *Aiſtadii* IV. Nonas Novembres , Anno ſalutis M. CCCC. LXXXX. Extant cum *Illuſtrium Virorum Epiſtolis* . . . *ad Joannem* REUCHLINUM , in 4to. *Hagenoæ*. 1519. procuſis. *Prioris* argumentum , ingensque ſimul *Noſtri* ſtudium, in bonis litteris , lingua præſertim *latina* , ope REUCHLINI promovendis , plurimis exponit *Jac.* BURCKHARDUS in Libro : *De Linguæ latinæ in Germania fatis*, *p.* 242. *& ſeqq.* In *poſteriori* autem *Noſter* REUCHLINO ſatyrice arguenti , *quod nihil in lucem aut ſcribendo aut dicendo proferret* , modeſte reſpondet : Addit ſubin litteraria quædam.

II. *Epiſtolæ XXXIX. ad Bilib.* PIRCKHAMERUM , ab anno 1516. usque ad annum 1523. excurrentes, quas *Jo.* HEUMANNUS ſuis *Documentis litterariis* , 1758. *Altdorfii* , in 8o. editis inſeruit; monens in *Commentatione iſagogica ad Documenta* hæc , *pag.* 92. *ſe reperiſſe præterea epiſtolia quædam Bernardi temporis nota carentia* , *& ad rem librariam potiſſimum pertinentia*, quæ vulgare omiſit : dolens inſuper deſiderari Epiſtolas a *Noſtro* de lite, abs ECKIO ſibi mota , perſcriptas.

III.

III. *Epiſtolæ ad Vitum* BILDIUM, Monachum Ord. *S. Benedicti* in monaſterio *SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ* (u) ineditæ exſiſtunt in *Volumine III.* manuſcripto dicti BILDII, in Bibliotheca ejusdem cænobii; uti monui in *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabeto I.* (in *Vita* BILDII) *pag.* 32.

Non eſt, quod dubitem, multo plures *Bernardi* noſtri Epiſtolas aut interiiſſe temporis curſu, aut adhucdum in bibliothecarum angulis deliteſcere. Hanc ſuſpicionem merito movet copioſa lateque diffuſa amicitia, quam ille cum plurimis ſuæ ætatis Eruditis coluit, utpote Litteratorum juxta ac litterarum omnium patronus ac fautor ſtudioſiſſimus, &, qua talis, paſſim in Scriptis ſui ævi prædicatus. Quare haud alienum a propoſito reputo, eorum, quibuscum *Noſtro* jucundiſſima animorum conjunctio fuit, præſtantiores ſaltem aut minus notos nominatim laudare; uti *Jo.* REUCHLINUN (x) *Bilibaldum* PIRCKHAMERUM amicorum *Noſtri* facile principem (y) *Jo.* OECOLAMPADIUM (z) *Michael*

(u) Vitam *Viti* BILDII deſcripſi fuſo ſtylo in mea *Bibliotheca Auguſtana*, *Alphabeto I. p.* 10. *ſeqq.*

(x) *Noſtri* cum REUCHLINO amicitiam teſtantur *Epiſtolæ* binæ ſuperius allegatæ. Confer *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria*, p. 146. 180. 184. & *Jo. Barthol.* RIEDERER *Beytrag zun Reformations-Urkunden, p.* 24.

(y) Huic ſe amiciſſimum comprobavit multis litteris ad eum datis, quas *Jo.* HEUMANNUM in *Documentis litterariis* exhibere ſupra monui. Habuit eundem quoque ſocium malorum abs ECKIO intentatorum. Epiſtolas autem dedicatorias *Bilibaldi* ad *Noſtrum* vide inter ipſa *Bilibaldi Opera*, *Francofurti* 1610. in *folio* excuſa, *pag.* 232. Conſentit *J. G.* DOPPELMAYR *von Nurnberg. Kunſtlern.* fol. p. 39. *in Notis.*

(z) V. *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria*, *p.* 192. & alibi. *Jo. Barth.* RIEDERER, *l. c. p.* 24.

chael. HUMMELBERGIUM (*a*) ERASMUM *Roterodamum* (*b*) *Nicol.* ELLENBOGIUM (*c*) *Mart.* LUTHERUM (*d*) Comitem *de* NUENAR (*e*) *Jacob.* SPIEGELIUM (*) & cum ſexcentis aliis *Bohuslaum Boemum* *Baro-*

(*a*) V.^{ae} *Mich.* HUMMELBERGII Epiſtolas, ad calcem *Hiſtoriæ Vitæ atque Meritorum Conr.* PEUTINGERI, a me 1783. *Auguſtæ*, in 8°. editæ, ubi *Bernardum* noſtrum, *amicum candidiſſimum*, p. 199. appellat.

(*b*) Amicum *Noſtro* fuiſſe, teſtatur *J. B.* RIEDERER, *l. c. p.* 24.

(*c*) Hic *Noſtrum*, in Epiſtola ſua ad *Conr.* PEUTINGERUM (ad calcem *Convivalium Sermonum* PEUTINGERI a *G. G.* ZAPF, *Auguſtæ*, editorum) *virum humaniſſimum, ſibique non mediocriter affectum* appellat.

(*d*) Quanti amicitia LUTHERI, juſto, ut videtur, arctior profuſiorque conſtiterit *Noſtro*, ſuperius dictum eſt.

(*e*) NUENARII, ſeu NEVENARII amicitiam, utpote *&* *Canonici & Docti*, ambiviſſe *Noſtrum* conſtat ex *Epiſtola* Ejus, inter *Jo.* HEUMANNI *Documenta litteraria*, *p.* 179. extante; & conſecutum quoque eſſe, credibile eſt.

(*) Huic *Noſter Bernardi* WURMSERII JCti *Orationem habitam nomine illuſtr. & magnif. DD. Oratorum Imperii, die S. Andreæ, ultima Novembris MDXIX. coram ſacratiſſimo Cæſare* (Carolo) *in Molino Regis prope Barchinonam, in præſentatione Decreti Electionis, cum Reſponſiva Mercurini Albonen. de* GATTINARIA communicavit: quam SPIEGELIUS mox, typis ut excuderetur, ad *Sodalitium litterarium Seleſtadtenſe* miſit, ſequenti præludens Epiſtola: *Jacobus* SPIEGEL *regius a ſecretis Dominis* VOLZIO *Abbati*, WIMPHELINGIO *&* PHRYGIONI *Theologis*, RHENANO *&* SAPIDO *Philoſophis, ceteriſque litterarii Sodalitii Seleſtadienſis amiciſſimis S. D. Salvum ſit Sodalitium patrium. Hujus Auguſtanæ ædis haud incelebris nominis Canonicus D. Bernardus* ADELMANN *de Adelmansfelden nudius quartus Orationem coram* CAROLO *recens Cæſare electo . . . habitam in præſentatione Decreti* (*ut ajunt*) *Electionis: item Orationem reſponſivam mihi communicavit, quas ſtatim fratris amanuenſis opera exſcribendas curavi, ut ad vos protinus iret. Si lecta placuerint . . . nihil eſt, quin exeant*

Baronem de HASSENSTAYN (*f*) *atque Joann.* STURNUM *Francum de Smalcaldia*, cujus ad *Noſtrum* extat ſequens Epiſtola, amicitiæ cum ambobus excultæ index certiſſimus:

STURNUS *Bernardo* ADELMANNO *de Adelmansfeldia S. P. D. Quam ſincera, quamque vetuſta tibi, clariſſime* ADELMANNE! *cum* Bohuslao *noſtro eſt amicitia, & ex mutuis veſtris litteris & pretioſis donis invicem miſſis cognoſco, & indies magis magisque perſpicio. Jucundiſſimum viſum eſt, quam concordi, quam benivolo, & ſuavi etiam atque ſincero: & denique quam uno ſitis animo conjuncti. Prædicent alii Theſei cum Pirithoo, Horeſtis cum Pylade, aliorumque id genus amicorum conjunctiſſimas voluntates. Ego certe, ſi quid dignum doctis me auribus daturum confi-*

eant in multitudinis uſum, una cum regiis litteris, quibus gratiæ aguntur Electoribus . . . ac pontificio Brevi, quo LEO, *magnus Sacerdos*, CAROLO *noſtro congratulatur. Valete & triumphate barbariei victores incluti! Salutat vos omnes Chuonradus* PEUTINGERUS. *Ex Auguſta Vindel. Kalendis Martii*, *MDXX.* Extat hoc Opuſculum in Bibliotheca publica *Auguſtana.*

(*f*) Extat in Bibliotheca Collegii quondam *Societatis Jeſu*, *Auguſtæ*, Liber hoc titulo: *Opuscula Bohuslai Boemi Baronis de* HASSENSTAYN, *quæ hoc volumine continentur. Ad Wladislaum Pannonie & Boemie Regem in funere Anne Regine conjugis Elegia conſolatoria. Elegia ad XIV. Sanctos, quos vulgo Auxiliatores vocant, de peregrinatione ſua gratias agens. Ad Joannem Sturnum Francum de Smalcaldia de Avaritia libellus. Summos chriſtianos Principes contra Turcas excitans, adhortatorium Carmen.* in 4to ſine indicio anni, loci, & typographi. Horum igitur Opuſculorum poſtrema duo STURNUS *Noſtro*, ſuperius verbatim expreſſa *Epiſtola*, nuncupavit. Conferenda omnino eſt *Jo. Chriſtoph.* COLERI *Commentatio hiſtorica de Bohuslai* HASSENSTEINII *&c. Vita.* 4o. *Wittebergæ*, 1721, in qua mentio de *Bernardo* noſtro fit.

conſiderem, pro virili meo ADELMANNI *&* Bohuslai *amicitiam priſcorum illorum omnium amore arctiſſimo oſtenderem arctiorem. Quæ res cum ita habeat, arbitratus rem indignam, latitare* Bohuslai *noſtri penes me quoddam egregium, quod tibi, humaniſſime* ADELMANNE *! ut cetera ejus omnia, non ſit commune; hunc iccirco ejus nuncupatim dicatum* de Avaritia *librum, nomini tuo inſcriptum tibi mitto. Libellum quoque heroico ſcriptum carmine*, in quo chriſtianos Principes ad bellum contra Thurcas hortatur, *adjeci, etiam atque etiam orans ac rogans, ut utriſque in publicum (digni namque ſunt, qui ab omnibus legantur) tuo auſpicio prodire liceat: in quo minime dubites velim, gratificaturum te doctis omnibus: mihi vero ſingularis etiam benivolentiæ in me tuæ præſtabis non mediocre teſtimonium. Vale feliciter. Datis Haſſenſtene, XXVI. Decembris M. D. VIII.*

ADELMANN (*Conradus*)

Frater præcedentis *Bernardi* ADELMANN natu minor, ſed fratre *valentior pleniorque* doctrina (*a*) ſæculo XV. paulatim ad finem vergente in hanc lucem prodiit. Hunc ad annum 1483. inter Inſcriptos Academiæ *Tubingenſis*, apud *Mart.* CRUSIUM (*b*): ad annum vero 1486. inter Inſcriptos Academiæ *Ingolſtadienſis* apud *Jo. Nepom.* MEDERER (*c*) reperio. Anno 1488. *Noſter* Eccleſiæ *Elvacenſis* Canonicus factus

(*a*) Vide *Joann. Bartholomæi* RIEDERER *Beytrag zu den Reformations - Urkunden, p.* 24. Confer, ſi lubet, *Mart.* LUTHERI *Opera.*

(*b*) In *Annalibus Suevicis, Dodecade III. p.* 466.

(*c*) In *Annalibus Academiæ Ingolſtadienſ. Tom. I. p.* 31.

ctus eſt (*d*) ſimilemque dignitatem anno 1502. in cathedrali *Auguſtana* obtinuit (*e*); in qua poſtrema Eccleſia etiam *Cellarii* munere functum eſſe *Conradum*, a *Corb.* KHAMMIO monemur (*f*). Hinc in *Theſauro bibliothecali*, *Tom. II. p.* 209. mendoſe *Cancellarius Auguſtenſis* appellatur; quem eum nullibi lego, ſed *Cellarium*, vel *Cellerarium Auguſtanæ* Eccleſiæ cathedralis. *Eichſtettenſis* quoque Eccleſiæ Canonicum ſolus *Jo. Henr. de* FALCKENSTEIN (g) facit; & recte quidem, nam anno 1528. canonicatum hunc (ut conſueto vocabulo utar) reſignavit; uti me iterum amicus meus *Eichſtettenſis*, in præcedenti paragrapho laudatus, monuit: qui cum inſuper Excerptum ex *Mortuario* Eccleſiæ *Eichſtettenſis* (ad annum 1525. 18. Auguſti) mecum communicarit, iſtud hic ſubjiciendum mihi eſſe cenſeo: *D. Conradus Adelmann de Adelmansfelden, ad Præſentationem D. Joannis de Seckendorff, ad Canonicatum & Præbendam D. Bernardi Arzt, cui, qua Legum Doctori & Præpoſito Herriedenſi ad hunc Canonicatum anno* 1479. 11. *Martii a D. Vito de Rechenberg Decretorum Doctore, Decano Eccleſiæ Eichſtettenſis, & in Spiritualibus Vicario generali, nomine Ven. Capituli, poſſeſſio data fuit, per D. Erchingerum de Rechenberg Seniorem inveſtitus eſt. Reſignavit anno* 1528.

(*d*) V. *Corb.* KHAMM *Hierarch. Auguſtana, P. I. cathedr. p.* 612. & in *Auctario P. I. cathedr. p.* 153. Confer *Jo. Henr. de* FALCKENSTEIN *Antiq. Nordgav. continuat. Tom. II. p.* 24.

(*e*) V. *Corb.* KHAMM, *l. c. p.* 612. *Gabr.* BUCELINI *Stemmato-graphiam Germaniæ, Tom. II.*

(*f*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 612. Concordant BUCELINUS & FALCKENSTEINIUS *ll. cc.*

(*g*) In *Antiquit. Nordgavienſ. continuat. Tom. II. p.* 24.

1528. *ſecundum tenorem Prothocolli Capitularis ſub dato penultimi Decembris dicti anni.*

Fuit *Noſter* vir multo litteratiſſimus, Muſis earumque cultoribus & amicus & charus apprime. Hinc factum, ut una cum fratre *Bernardo* (quod monui) exorienti *Societati litterariæ Auguſtanæ* cito accedendum ſibi eſſe putarit. Inſuper fratris ſui veſtigia ſtudioſe premens viros ætatis ſuæ eruditos ad præclara Opera conſcribenda hortari, conſcriptaque prælo ſubjicere, ut juris fierent publici, ſuarum maxime partium eſſe exiſtimavit. Qua ex re quemadmodum laus permagna *Noſtro* debetur, ita eidem a me inferius pro merito reddetur.

Cum *Martinus* LUTHERUS ſua per *Germaniam* dogmata ſpargere cæpiſſet, *Noſter*, ubi rem in ſiniſtram inclinari partem viderat, cito manum de tabula movit, ſatiusque duxit avitam retinere fidem, quam nova ſectari (*h*). Quid autem vere de LUTHERO ejusque cauſſa ſenſerit *Noſter*, declaravit in Epiſtola ad *Georg.* SPALATINUM, paulo inferius commemoranda.

Exeunte anno 1523. ſuaviſſimo fratre ſuo, ſupremis fatis defuncto, orbatus abs *Michaele* HUMMELBERGIO, *Bernardi* obitum edocto, per litteras conſolari meruit: qui ipſe ſuæ erga mortuum æque ac ſuperſtitem fratrem amicitiæ magnopere ſeſe defuturum eſſe eſt arbitratus, ſin minus & defuncto juſta perſolveret, & vivo ſolatium pro virili adhiberet; de qua re videſis HUMMELBERGII *Epiſtolas*, in fine *Hiſtoriæ Vitæ atque Meritorum Conradi* PEUTINGERI, abs me 1783. *Auguſtæ* typis vulgatæ, *p.* 199. 202. 205.

B 2 Pulſo

(*h*) Vide *Jo. Barthol.* RIEDERER *Nachrichten zur Kirchen-Geſchichte &c. Tom. II. p.* 55.

Pulſo ex urbe *Auguſta* anno 1537. Clero univerſo (*i*) *Noſter* Religionis cauſſa *Dillingæ* aliquamdiu exulavit; quod exilii tempus ne ſine aliquo fructu & utilitate Reipublicæ litteratæ abiret, *Kilianum* LEIB, *Rebdorſenſis* prope *Eichſtadium*, Ord. *S. Auguſtini* Canonicorum regularium, monaſterii Priorem (*k*) litteris, in quibus illius ſententiam de diverſarum Translationum S.Bibliæ cauſſis ſciſcitatus eſt, datis adduxit, ut is Tractatum *de ſacræ Scripturæ diſſonis Translationibus* conficeret: quem *Noſter* poſtea typis vulgavit, *Epiſtola* prævia a ſe ornatum. Sed de hoc poſtea ſermo redibit.

Tandem anno 1547. ad fratrem, pluresque abiit ſenex admodum (ut calculo inito colligi poteſt; cum jam anno 1483. ad optimas litteras addiſcendas ſeſe contulerit; quod ſuperius monui) tumulum in periſtylio Eccleſiæ cathedralis *Auguſtanæ* ſortitus, addito ſequenti titulo (*l*)

Anno ſalutis M. D. XLVII. VI. die Februarii obiit venerabilis ac nobilis Conradus Adelmann ab Adelmansfelden, Canonicus & Cellarius Auguſtenſis.

Sed

(*i*) V. *Pauli a* STETTEN *ſenior. Geſchichte der H. R. R. Stadt Augſpurg, Tom. I. p.* 342. Confer *Theſaurum bibliothecalem, Tom. II. p.* 209.

(*k*) Fuit LEIBIUS vir doctiſſimus, *trium linguarum peritus.* De ſe ipſe ſequentia narrat allegati Tractatus initio: *Ego jam annis plus quinquaginta duobus ſacros audivi atque legi libros; legi quoque & vidi Eruditorum commentaria; nonnihil operæ linguis hebraicæ, chaldaicæ, græcæque diſcendis impendi; vidi atque animadverti. . . .* Translationum *varietatem. Intendi tum animum, ut ex hebraicis atque chaldaicis S. Scripturæ aſſequerer veritatem* &c. &c.

(*l*) V. KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. I, cathedr. p.* 612.

Sed jam de *Noſtri:* in rem litterariam meritis. Quo ſtatim loco monendus es, Lector! id, quod in *Bernardo* doluimus, ipſum & in *Conrado* dolere nos debere: ſcilicet quod nec iſte aliud ingenii monumentum præter *Epiſtolas*, de quibus mox agetur, reliquerit. In aliorum vero Eruditorum Operibus vulgandis ſtudioſiſſimus, *Richardi* BARTHOLINI, *viri eruditiſſimi, de Conventu Auguſtenſi concinnam Deſcriptionem, rebus etiam externarum gentium, quæ interim geſtæ ſunt, cum elegantia interſertis. in* 4to. *MDXVIII.* typis publicavit, eleganti Epiſtola *Paulo de* OBERSTEIN, Præpoſito *Viennenſi*, Conſiliario cæſareo a ſe nuncupatam: in qua non ſolum hujus lucubrationis prelo excudendæ promotorem ſeſe, ſed & conſcribendæ BARTHOLINO, quem quotidianis ad id precibus laceſſiviſſet, auctorem incentoremque fuiſſe, diſerte prodit. Porro, quod *Conradus* a *Bartholino* quotidiano flagitio orbi erudito impetrarat, ſuaque opera interveniente typis exſcriptum dederat, Opuſculum tanti viſum eſt *Joann. Georg.* SCHELHORNIO, ut illud inter *Amoenitates Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & litterariæ, Tom. II. pag.* 666. recudi fecerit: *Jacobo* autem BURCKHARDO in Libro: *De Linguæ latinæ in Germania fatis*, *p.* 242. minime intactum abierit, qui inde etiam occaſionem arripuit, *Conradi* noſtri *haud indocti*, ut ait, *minusque inglorii* ſingularem erga patriam, *Germaniam*, amorem (ne forte illa inertiæ a poſteris vere inſimularetur, ſin minus *Conventus* ille *Auguſtanus* a quoquam litteris traderetur) laudibus extollendi; quem *Burckhardum*, etiam *L. c. P. II. pag.* 270. conſulas velim. BARTHOLINUM *Frid. Jac.* BEYSCHLAGIUS quoque in ſuam *Syllogen Opuſculorum*, & SENCKEN-

BERGIUS in ſua *SelectaJuris & Hiſtoriarum* tranſire fecerunt.

Simili ratione *Conradus* noſter *Kiliani* LEIB *Prioris Rebdorfenſis, trium linguarum periti*, Tractatum *de S. Scripturæ diſſonis Tranſlationibus* (*m*) anno 1542. typis publicari curavit, prævia Epiſtola a ſe ornatum, in qua hæc legere eſt: *Cum cuperem tot diverſarum cauſſas Translationum cognoſcere, conſului in hac re R. Kilianum* LEIB ... *virum pericia linguarum & integritate vitæ clarum, multis annis in arcanis litteris verſatum, petiique ab eo, ut pro ſuo in me amore me edoceret, quæ ſerent tot diverſitatum cauſſæ. Geſſit mihi morem vir eruditus & plerasque hujus rei cauſſas per epiſtolam mihi ſignificavit. Quam Incubratiunculam non ſum paſſus intercidere, eamque tradidi excuſoribus litterarum....* Ceterum per hujus Epiſtolæ contextum *Conradus* noſter apertis verbis oſtendit, quantum a perturbatis illorum temporum opinionibus abhorreret ipſe; adeo ut criſin *Jo. Bartholomæi* RIEDERER (*n*) etſi immeritus, ob id incurrerit.

Hæc ſunt Opuscula, obſtetriciam *Noſtri* fortita opem; de quibus mihi quidem conſtat. Quare relinquens in medio, an alia inſuper ſint hujus commatis, meam notitiam fugientia, ad recenſendas *Conradi* noſtri *Epiſtolas*, quas ſolas ab eo haberi, ſuperius monere me memini, procedo. Sunt illæ:

I. *Epi-*

(*m*) De raro hoc & admodum infrequenti Opusculo videri poterit *Theſaurus bibliothecalis*, *Tom. II. P. II. pag.* 209. *Frid. Jac.* BEYSCHLAGII *Sylloge &c. Tom. I. Faſcic. II. p.* 434.

(*n*) In Libro: *Nachrichten zur Kirchen - Geſchichte, Tom. II. p.* 55. Confer *Frid. Jacob.* BEYSCHLAGII *Syllogen Oupsculorum, Tom. I. Faſc. II. pag.* 434.

I. *Epiſtola ad Joannem* REUCHLINUM, data ex *Ellwangen*, XXVI. Aprilis (ſine anni indicio) extat cum *Illuſtrium Virorum Epiſtolis ad Jo.* REUCHLINUM, *Hagenoæ.* 1519. in 4to. excuſis; in qua inter alia fatetur: ſibi REUCHLINI litteras cum ob earum ornatum & condecentiam, tum etiam *propter inveteratam familiaritatem* jucundiſſimas fuiſſe.

II. *Epiſtola ad Georgium* SPALATINUM, vernaculo ſermone ſcripta, dataque 1518. 18. Octobr. invenitur inter Opera *Martini* LUTHERI Germanica *Wittebergæ. Tom. IX. p.* 60. & *Jenæ. Tom. I. p.* 123. In hac *Epiſtola Conradus* noſter SPALATINO narrat, qualem ſeſe LUTHERUS in *Conventu Auguſtano*, eodem anno habito, coram Legato apoſtolico geſſit, quæve promiſſa dedit. Digna eſt Epiſtola hæc *Conradi* noſtri, quæ tota legatur.

III. *Epiſtola ad Paulum de* OBERSTEIN, de qua ſuperius egi, & quæ habetur præfixa *Richardi* BARTHOLINI *Deſcriptioni Conventus Auguſtani*, anno 1518. *ibidem* habiti, eodem anno in 4to. excuſæ. Reperitur etiam in *Jo. Georgii* SCHELHORNII *Amoenitatibus Hiſtoriæ eccleſiaſticæ & litterariæ*, *Tom. II. p.* 666.

IV. *Epiſtola ad Joannem* AVENTINUM, data *Auguſtæ.* 1526. 10. Decembris. Hac epiſtola *Noſter*, una cum Collega ſuo *Matthæo* MARSCALCKO a *Pappenheim*, de quo inferius ſuo loco dicetur, AVENTINUM ſignificantiſſimis verbis cohortatur, atque incitat, ut meditatis *Annalibus Boicis* vulgandis quamprimum vires omnes, ingeniumque totum impendat. Reperies eam ante ipſos *Annales Boicos* typis impreſſam.

V. *Epiſtola ad Kilianum* LEIB Priorem *Rebdorfenſem*. Præmittitur ejusdem LEIBII opusculo ſeu epiſtolæ. *de S. Scripturæ diſſonis Translationibus*. 1542. in 4to. cui *Noſter* lucem dedit. Utramque Epiſtolam recudi fecit *Jo. Georg.* PALMIUS, & *Libro* ſuo *hiſtorico*, *de Codicibus Vet. & Nov. Teſtamenti*, *quibus Lutherus ... uſus eſt &c. Hamburgi*, 1735. *in* 8°. impreſſo adjecit. Confer Librum: *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen. Leipzig*. 1735. 8°. *p.* 86. & *ſeqq.*

VI. *Epiſtolæ IV. ad Vitum* BILDIUM *Monachum San - Udalricanum Auguſtæ*. Harum primus meminit *P. Bernardus* PEZ in *Diſſert. iſagog. ad Tom. I. Theſauri Anecdot. noviſſ. p. XXXII.* & poſt hunc ego in *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabeto I. pag.* 32. (in *Vita* BILDII). Eas hoc loco inſerere non ineptum judicavi, quod nec multæ ſint, nec omnino futiles.

I.

Salutem plurimam, *Vite*! frater ac amice in primis obſervande. Dedit mihi *Bernhardus* frater meus pridie tuas litteras legendas, in quibus ſignificaſti, ut, quandoquidem fratrem meum diligeres, ego quoque inter amicos meos te ſuſciperem ac connumerarem; id quod valde viſus es, *Vite* optime deſiderare. Ego vero, qui jam antea ob amorem & benivolentiam, quo tibi frater meus conjunctus eſt, plurimum te dilexi, lectis tuis litteris, te propter doctrinam ac alias egregias tuas virtutes pro amico ac fratre optimo ac jucundiſſimo amplector ac ſuſcipio. Et ſi usquam obtulerit occaſio, ut operam *Conradi* tui indigeas, cave... injuriam mihi feceris, niſi ea ad libitum tuum utaris. Vive itaque feliciter, & vale, optime *Vite*! & mei in orationibus tuis erga Deum clementiſſimum aliquando meminiſſe velis; hoc idem, ſi quid

quid valere poſſunt peccatoris orationes, de me tibi quoque perſuadeas atque polliceare (*).

Tuus Conradus Adelmann
de Adelmansfelden.

(*) Caret Epiſtola hæc anni nota; ſed quia cum Epiſtolis anni 1520. permixta invenitur, dubio procul hoc itidem anno exarata fuit.

II.

Salutem in Chriſto. Litteras tuas, *Vite* chariſſime frater! accepi conſolationis ac tuæ erga me dilectionis plenas. Spero quidem, ut ſcribis, non male cum fratre meo feliciſſimæ recordationis actum, qui ſæculum hoc malignum deſeruerit, ſed ad veram patriam noſtram, ad Chriſtum, cujus gloriam quæſivit ſemper, profectum. Tam dulcis tamen, optime *Vite!* inter me & ipſum, ac diutina converſatio, absque ulla contentione fuit, ut (tibi aperte mentem meam detegam) ut nihil unquam in hac vita pertulerim moleſtius illius morte. Utcunque tamen ſit, divinæ voluntati non reſiſtendum fore, mihi reluctante animo vix perſuaſi, quæ ſemper bona, quæ, utinam fuerit in terra, ſicut in cælo. Te vero interim poſt fratris obitum, ut fratrem mihi dilectiſſimum, amplector, & ſi quid unquam erit, in quo tibi prodeſſe valuero, experieris a me diligi. Fac poſtremo, optime *Vite!* quandoquidem frater meus valde te dilexit, ut in orationibus tuis erga miſericordiſſimum Deum illius candidiſſimæ animæ ſis memor. Vale, & felix ac fauſtus tibi ſit novus ac ſubſequens annus (*).

(*) Scilicet annus 1524.

III.

Salutem in Chriſto. Inſtrumentum aſtrologicum & litteras *Spalatino* miſi, ut deſiderabas, optime *Vite!* Hoc volui ne neſcires, & ne ejus rei ſis ſollicitus. Mitto ad te *Defenſionem Oswaldi Myconii*, Lucernam (*) Turricenſium, ad Sacerdotes Helvetios, hominis ſane docti & eleganter ſcribentis. Reſpicit hoc tempore clementi vultu Germaniam benignus Deus; multi enim docti & præcipue ſacris litteris faventes inter Germanos emergunt. Mitto præterea Epiſtolam *Eraſmi* ad Joannem *Fabrum*,

Conſtantienſem Vicarium ; & item aliquot Poſitiones, quas Balthaſar *Fridberger* nuper ſe diſputaturum pollicitus eſt, ut & tu, qui parietibus incluſus es, intelligas, quid in hoc turbulento ac inquietiſſimo mundo agatur : quæ ſi antea non legiſti, voluptate te afficient. Quæ poſteaquam legeris, remitte, & interim in Chriſto bene vale.

Zvinglius de veris & falſis paſtoribus edidit, quod fortaſſis excudetur. Reſtitui amico, qui mihi copiam legendi fecit; alioqui ad te miſiſſem : in quo libello, pſeudo - paſtores plane tractat, ut merentur (**).

(*) Ita *Codex* habet. (**) Hæc epiſtola cum aliis anni 1524. in *Codice* permixta extat.

IV.

Gratia & pax a Deo. Quod ſignificaſti, *Oecolampadium* ſcripſiſſe in Apocalypſin, nunquam antea intellexi a quoquam, optime *Vite*! & vix credo ; alioqui fortaſſe me non latuiſſet. Quod vero *Zvinglius* & *Oecolampadius* faveant opinioni *Carlſtadii* de Sacramento Altaris, id quoque me latet. Verum quidem eſt, quod *Oecolampadius* jam pridem ad me ſcripſit : ſi ſperem admonitionem meam apud *Urbanum* (*) valere., ut eundem adhorter, ne præceps ſit in ſcribendo de hac re ; fecique, quod juſſit *Oecolampadius* : quandoquidem *Oecolampadius* ait, ſe quoque de his rebus ante annos aliquot audiviſſe doctiſſimos quosdam, & nuper contuliſſe. Fortaſſis ſi dabitur otium & vita, aliquando te adibo & mecum afferam *Oecolampadii* litteras, quas paucis hactenus volui communicare; ſed te non celabo. Scripſit quoque *Oecolampadius*, *Martinum* ſcripſiſſe Baſileam in cauſſa li : ar : ſe non congreſſurum cum *Eraſmo*, quandoquidem rem non videatur tractare ſerio. Ad proximas nundinas *Franckfordienſes* ſpero, nos habituros *Jeſaiam Oecolampadii.* Vale in Chriſto, optime *Vite!* & fiduciam in cæleſti patre noſtro, cui curæ ſumus, omnem conſtitue (**).

(*) Intellige *Rhegium*. (**) Hæc littera ad finem anni 1524. ſcripta fuiſſe videtur.

BISSE-

BISSELIUS (*Dominicus*)

De BISSELIO noſtro fuſius agit *Franciſcus* PETRI in *Germania canonico - Auguſtiniana* (*a*), quam hic excerpere lubet, ita tamen, ut quæ a me ulterius obſervata ſunt, adjiciam.

„ *Dominicus* BISSELIUS *Babenhuſanus* Suevus, „ ad *S. Crucem Auguſtæ Vindelicorum* anno 1652. „ ſacrum Ordinem *canonico - Auguſtinianum* pro„ feſſus, exinde pluribus annis tum *Oeconomi*, tum „ *Decani* officio præcipuus; Vir multæ lectionis, „ ac meritiſſimus dicti *Ordinis* ſui Zelotes, in ſolen„ ni monaſterii ſui viſitatione ab Ordinario loci, ſeu „ Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. *Joanne Chriſto„ phoro* S. R. I. Principe & Epiſcopo *Auguſtano*, „ *Vir univerſaliter doctus*, appellari promeritus; „ idem ſuperioribus annis poſt ſpontaneam Deca„ natus reſignationem in Confeſſarium & in Spi„ ritualibus Rectorem nobiliſſimi Parthenonis *Ma„ riæburgenſis* ſub dioeceſano limite *Eyſtettenſi* po„ ſtulatus, inde ad Collegium ſuum poſt plures „ annos reverſus, vitam usque ad completum „ Profeſſionis religioſæ, & Sacerdotii Jubilæum „ protraxit, quam tandem ſenio confectus, opti„ meque de ſacro *Ordine* meritus religioſe conclu„ ſit anno 1710. 19. Decembris, elucubratis in vi„ ta, typoque vulgatis ſequentibus libris:

„ I. *Apologia pro Profeſſione S. Dominici, Or„ dinis Prædicatorum Fundatoris, prius vero Cano„ nici Regularis contra R. P. Dominicum* AUREN„ HAMER *ejusdem inſtituti Fratrum Prædicatorum* „ *Præ-*

(*a*) Habetur hæc in *Collectione Scriptorum Rerum hiſtorico - monaſtico - eccleſiaſtic. Tom. III.* quem vide pag. 139. 140.

„ *Præſentatum : S. Patrem Dominicum Canonicum*
„ *de Ordine Præmonſtratenſi fuiſſe, contendentem.*
„ MSStum in Bibliotheca *Wettenhuſana.*

„ II. *Relatio Cæremoniarum in Beatificatione B.*
„ *Petri de* ARBUES *Martyris Can. Reg. Eccleſiæ*
„ *metropolitanæ Cæſar - Auguſtanæ, ab Alexandro*
„ *VII. die* 20. *Aprilis anno* 1664. *facta, una cum*
„ *brevi compendio vitæ ac paſſionis ejusdem Marty-*
„ *ris ex italico latine reddita, Auguſtæ Vindelico-*
„ *rum.* 1664. in 12.

„ III. *Tractatus Hiſtorico - Theologicus de SS.*
„ *miraculoſo Sacramento in Eccleſia S. Crucis ſub*
„ *ſpecie carnis viſibili.* MSStum.

„ IV. *Idea boni paſtoris ſeu Vita R. P. Petri*
„ FOURERII *de Maitaincour Can. Reg. S. Auguſti-*
„ *ni, Reformatoris & Generalis Cann. Regg. Con-*
„ *gregationis Salvatoris noſtri in Lotharingia, ex*
„ *Gallico* (*b*) *latine reddita. Auguſtæ Vindelicorum.*
„ 1668. in 8.

„ V. *Idea boni Prælati, ſeu Vita Alani de*
„ SOLMINIHAC, *ex Can. Reg. Abbate Cancellaten-*
„ *ſi, Epiſcopi Cadurcenſis in Gallia, ex Idiomate*
„ *Gallico* (*c*) *in latinum verſa. Campiduni.* 1673.
„ in 8.

„ VI. *Vita eximii Dei ſervi Alberti de* ALTISSI-
„ MIS *Can. Reg. Congregationis Lateranenſis, ex*
„ *Italico* (*d*) *latine reddita. Auguſtæ Vindelico-*
„ *rum.* 1687. in 8.

Hucus-

(*b*) *Joannis* BEDEL.
(*c*) *Leonardi* CHASTENET.
(*d*) *Pauli Emilii* SARACENI. Hanc verſionem dicavit *Noſter Joanni Alberto* Præpoſito, Cann. Regg. in *Rotenhan.*

Hucusque *Franciſcus* PETRI *loc. cit.* Præterea ex italico *P. Thomæ* AURIEMMAE *Soc. Jeſu.* convertit:

VII. *Marianiſche Schaubühne vorſtellend den umwechslenden anmuthigen Liebsſtreit einerſeits zwiſchen der ſeligſten Jungfrau und Mutter Gottes Maria, andererſeits zwiſchen denen mit ſonderbahrer Andacht ihr völlig ergebenen Dienern,* in 4o. Editio II. *Augspurg.* 1721.

Ex Gallico vero traduxit:

VIII. *Der heilige Schuz-Engel, ein getreuer Geleitsmann in unterſchidlichen chriſtlichen Andachten.* in 8o. Editio IV. *Augspurg.* 1740. Eſt verſio Libri Gallici: *L' Ange conducteur &c.*

Hæc de litteratis laboribus BISSELII, qui inſuper laudatur in *Elencho onomaſtico Scriptorum Ord. Cann. Regg. S. Auguſtini*, a RRmo *Franciſco*, Præpoſito *Pollingenſi*, edito.

CAESAR (*Joannes*) alias KAYSER.

Vero nomine, absque omni dubio, KAYSER nuncupatus (quod ipſum de ſequentibus etiam ſentiendum) *Auguſtanus*, vixit ſæculo XVI. ineunte.

Primus *Joannis* noſtri meminit *P. Bernardus* PEZ in *Diſſertatione iſagogica ad Tom. I. Anecdotorum Theſauri noviſſimi*, *pag. XXXII.* ubi *Noſtrum* inter eos nominatim laudat, qui cum *Vito* BILDIO Monacho *San-Udalricano* (*a*) & quibuscum viciſſim hic epiſtolare commercium habuit. Extant itaque

I. *Epi-*

(*a*) De BILDIO fuſiſſime egi in meæ *Bibliothecæ Auguſtanæ*, *Alphabeto I.* ubi, quod ad *Joannem* CAESAREM attinet, videlis *pag.* 32.

I. *Epiſtolæ* aliquot ineditæ, a *Noſtro* ad memoratum BILDIUM ſcriptæ in *Volumine III. MSSto* ejusdem BILDII, in Bibliotheca *San-Udalricana*, *Auguſtæ*: ex quibus liquet, *Noſtrum* præceptore uſum fuiſſe *Vito* BILDIO; nam præterquam, quod hoc honoris titulo *Noſter* ornet *Vitum*; etiam in Epiſtola, anno 1512. Idibus Decembris data ſeſe illius diſcipulum apertis verbis profitetur, inquiens: *ſed non eſt diſcipuli corrigere præceptorem.* Conſtat præterea ex iisdem *Epiſtolis*, ſtudiis & præcipue Medicinæ *Noſtrum* operam dediſſe *Ingolſtadii*; nam in alia Epiſtola anno 1512. 10. Kalend. Septembr. ad BILDIUM data ait: *Ceterum noſcas me operam dare Medicinæ.* Longiori autem temporis ſpatio ibidem commoratus eſt *Joannes* noſter, interque alia gravi morbo in ea civitate decubuit; prout rurſus alia *Noſtri* ad BILDIUM data Epiſtola docet. Inde, credibile fit, *Noſtrum* in *Italiam* profectum eſſe & *Bononiæ* aliquamdiu ſubſtitiſſe. Ex ea urbe namque anno 1519. ſcripſit

II. *Epiſtolam medicam de morbo articulari*, itidem anecdotam, an ad BILDIUM, quem ejuscemodi infirmitatibus conflictatum fuiſſe novi, an ad alium, neſcio. Utcunque ſit, occurrit illa eodem *Volumine III. MSSto* BILDII.

CAESAR (*Joannes*)

Alius a præcedenti, & ab eo tum ætate, tum ſtudii, quod ſectatus eſt, genere omnino diverſus, vixit ſæculo XVI. exeunte. Fuit autem (uti in ſubſequentis Operis titulo videre eſt) auctoritate cæſarea approbatus, & in album S. R. I. Judicii Cameralis *Spirenſis* adſcriptus *Notarius*: *Ci-*

vis

vis Auguſtanus. Vita hac mortali deceſſit ante annum 1588.

Vidi in Bibliotheca *Collegii* quondam *Societatis Jeſu*, *Auguſtæ*, Opus ſequens, quo & memoria *Noſtri*, & eruditi labores poſteritati ſervati ſunt:

I. *Jo. Pet.* ZWENGEL (*a*) *deutſche Retoric oder Formular - Canzley - und Notariatbuch*, *mit des H. Johann* CAESARN, *aus kayſerlichen Gewalt approbirten und an dem Cammer-Gericht zu Speyr immatriculirten Notarien*, *und Burgern zu Augſpurg hinterlaſſenen Inſtrumenten* ... in folio, *Franckfurt.* 1588. Initio Operis profitetur *Wolf. Dietrich.* CAESAR, Notarius cæſareus, filius *Noſtri* (*b*): patrem ſuum piæ memoriæ annos plus viginti a multis tum civilis tum altioris ordinis Perſonis in cauſſis tractandis adhibitum, inque Inſtrumentis juridicis exarandis omni cum laude verſatum fuiſſe: ſeque paterna Inſtrumenta eum in finem *Zwengeliano* Operi adjeciſſe, ut eidemmet major inde commendatio accederet.

Aliam hujus Libri editionem, anno 1593. itidem *Francofurti* typis vulgatam, oculis meis

(*a*) De ZWENGELIO ſequentia habet *Chriſtian. Gottlieb* JOECHER in *Gelehrten-Lexicon*: „ Hat 1577. ein neues „ groſs Formular - und vollkommlich Canzley - Buch zu „ Franckfurt in folio edirt. “

(*b*) Hic *Wolfgangus Dietericus* CAESAR, *Auguſta* oriundus, civis *Francofurtenſis*, ſcripſit etiam Præfationem ad *Engelberti* WERLICHII *Chronicam Auguſtanam* vernacule editam anno 1595. *Francofurti*, in *folio*. ubi non obſcure innuit, ſe WERLICHIUM ad primam ſaltem ejus *Operis* partem ex *Marci* VELSERI *Rer. Auguſt. Libris* traducendam conduxiſſe: ſeque prius editionem latinam *Marci* VELSERI *Rerum Auguſtanarum* Francofurtenſem fieri curaviſſe, ut minori pretio proſtans Opus latius per Europam diffunderetur.

is uſurpavi in Bibliotheca *San - Udalricana*, *Auguſtæ*.

Confer, ſi lubet, *Joann.* CLESSII *unius Sæculi Elenchum conſummatiſſimum*, *Tom. II. p.* 182. qui primam memorati Operis editionem anno 1568. alligat, & *Noſtrum*, *Joannem Baptiſtam*, appellatum eſſe, innuit.

CAESAR (*Pius Felix*)

Auguſtanus, *J. V. Doctor*, de quo ſequentia *Chriſtianus* GRYPHIUS in *Diſſertat. iſagogica de Scriptoribus Hiſtoriam Sæculi XVII. illuſtrantibus*, *pag.* 96. narrat: *Ad ſextam quod attinet controverſiam* (Sæculi XVII. puta) *ſive Tumultum Francofurtanum Judæorum cauſſa excitatum*, *ſed mox ſeditioſorum ſupplicio ſedatum commendamus*

I. *Pii Felicis* CAESARIS *Auguſtani Deductionem ac Conſultationem juridicam*, 1615. *latine conſcriptam*...

Præterea a *Noſtro* inveni in *Catalogo univerſali pro Nundinis Francofurtenſibus autumnalibus de Anno* 1625. *Francofurti. Typis* ac *Sumptibus Sigiſmundi Latomi.* in 4to. ad finem, ſequens Opus.

II. *Pii Felicis* CAESARIS *von Augſpurg*, *der Rechten Doctoris*, *Rechtsbedenken uff drey unterſchidche Fragen*: *I. Was ein Jud*, *der einen Chriſten zum Judenthumb verreizet*, *vor eine Straff verdienet*: *II. Ob ein Jud in ſolchem Fall etwas könne vorſchützen*, *das ihn der Straff befreyen möge*: *III. Ob in dergleichen Verbrechen auch die Tortur ſtatt habe und vorgenommen werden möge?* in 4to. *Franckfurt.* Suſpicor non omnino temere (puto) hanc ſecundam Lucubrationem non eſſe aliam diverſamque a præcedenti, quam videre mihi nondum contigit; ſed tantum illius Verſionem *germanicam*.

CAE-

CAESAR (*Theophilus*)

Fuit patria *Auguſtanus.* Ab eo extant teſte *Joanne* CLESSIO (*a*).

I. *Theophili* CAESARIS *Auguſtani Centuriæ V. Epiſtolarum nuncupatoriarum, Dedicationum & Præfationum.* in 8vo. *Francofurti.* 1597. (*b*).

II. *Theophili* CAESARIS *Auguſt. Alchimiſpiegel, oder kurze Entwerffung der ganzen chimiſchen Kunſt.* in 8o. *Franckfurt.* Apud Hæredes *Egenolphi.* 1597.

(*a*) In *Elencho conſummatiſſimo unius Sæculi, Tom. I. p.* 514. & *Tom. II. p.* 205.

(*b*) Confer *Mart.* LIPENII *Biblioth. philoſoph. Tom. I. p.* 374. 455.

DREXELIUS (*Hieremias*)

Virum laudare aggredior, omni propemodum laude ſuperiorem: qui, dum vixit, & urbis *Auguſtanæ*, in qua natus eſt, & *Societatis Jeſu*, cui ſe adultior mancipavit, ſplendidiſſimum lumen fuit: qui eximiam virtutem pari cum doctrina ſic ſociavit, ut difficile dictu ſit, utrâ major haberi debeat: cujus Libri (edidit autem horum complures) tanta aviditate excepti, ac rapiditate tanta divenditi fuere, ut res fidem ſuperaret, niſi Synchronorum teſtimonia aptiſſima, & nullo modo inficiandæ auctoritates adeſſent: qui *in ſcribendo eam adhibuit ſtyli ſuavitatem cum modeſta gravitate religioſaque circumſpectione conjunctam, ut paſſim etiam ab Acatholicis ejus Scripta & lecta fuerint & commendata* (*a*).

Eſt

(*a*) *Philipp.* ALLEGAMBE in *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu, pag.* 181.

Eſt is *Hieremias* DREXELIUS, in hanc lucem editus *Auguſtæ*, anno poſt Chriſtum natum MD-LXXXI. die 15. Auguſti, parentibus tenuis fortunæ, & LUTHERI doctrinæ addictis; quæ tamen res minime impediit, quin *jam inde ab adoleſcentia ad Religionem orthodoxam ſingulari Dei Deiparæque beneficio reductus ſit. Patre* namque, *qui & ipſe animum a fide catholica non admodum averſum geſſerat, præmatura morte ſublato, ſui juris factus, primum ad Scholas Societatis Jeſu, tum & ad Religionem catholicam, ac Sodalitatem Marianam, ipſumque adeo inſtitutum Societatis animum totus adjecit* (*b*). Hinc, abſoluto Rhetorices ſtudio, agens annum ætatis ſuæ decimum ſeptimum, *Societati Jeſu* ſeſe mancipavit, in eum finem *Landsbergæ* vitæ religioſæ tyrocinium anno a partu virgineo MDXCVIII. ſexto Calendas Auguſti ingreſſus: in quo cum pro more *Societatis* duos annos exegiſſet, alios tres addiſcendis Philoſophiæ placitis *Ingolſtadii* conſecravit. Haud diu poſt, anno nimirum MDCV. in urbe patria commorans, cum in honorem auguſtiſſimi Euchariſtiæ myſterii, feſto Theophoriæ die, *averſus a Collegio Societatis Jeſu ædium, ad dictum Collegium pertinentium, tractus omnis conveſtiri emblemate picto coeptus eſſet*, DREXELIUS *noſter, tum poëſeos Magiſter ipſe, picturam nobili verſu animavit, heterodoxis juxta ac orthodoxis ad ſpectandum & deſcribendum confluentibus* (*c*). Deinde (ut calculo inito haud omnino temere conjicio) *Dillingæ diſciplinas humaniores quadriennio,*

&

(*b*) Verba ſunt *Hiſtoriæ Provinc. Societ. Jeſu Germaniæ ſuperioris, Tom. V.* Confer, quæ *Noſter* in fronte Libri ſui: *Nicetas*, de ſe ipſe profitetur.

(*c*) Hæc de *Noſtro* habet *Hiſtoria Provinciæ Societat. Jeſu Germaniæ ſuperioris, Tom. III. p.* 201.

& quidem jam tum Rhetoricam tradidit biennio : cumque in eo maxime genere excelleret ; theologicis poſt vacans ſtudiis, docere ſimul Juniores Societatis, atque inſtituere præceptis omnibus artibusque politioris litteraturæ (qui ſtudiorum Societatis Jeſu mos tunc fuerat) juſſus eſt. Audiit vero theologica dogmata in Univerſitate *Ingolſtadienſi*, in qua, huic ſtudiorum generi adhucdum dans operam, ſub annum 1609. ex crebris orationibus, quas in æde divæ Virginis pro antiquo Univerſitatis more, ut in feſtis *S. Joannis ante portam latinam*, *Nativitatis Chriſti* &c. habuit (teſtantibus id *Annalibus* mox dictæ *Academiæ* a *Jo. Nep.* MEDERER editis, *Tom. II. p.* 196.) inclareſcere multum coepit.

Sacerdotio demum initiatus, cum per valetudinem, qua imbecilla admodum utebatur, aliis impar muniis exiſtimaretur, gymnaſio Societatis Monachii primum, dein Auguſtæ, binis utrobique annis, præfectus eſt, & *Monachii* quidam hoc officii genere fungens, inſuper ad diſcipulos gymnaſii de ſacro ſuggeſtu dixit (*d*).

Hæc inter percrebeſcente facundiæ *Noſtri* fama, maximaque eloquentiæ exiſtimatione in publicum diffuſa, MAXIMILIANI Ducis *Bavariæ* Concionator aulicus renunciatur : quod munus uti *magna tum ipſius Principis voluntate, tum omnium ſumma adprobatione in palatio eſt exorſus*, ita, *nuncupatis altero poſt anno, pridie Calendas Auguſti, quatuor ſolennibus votis*, per viginti tres annos continuos cum ſingulari audientium omnium admi-

C 2 ratio-

(*d*) Ita *Hiſtoria Provinc. Societ. Jeſu Germaniæ ſuperioris, Tom. V. pag.* 410. *& ſeqq.* ubi vita & res geſtæ *Noſtri* fuſe narrantur : quam verbatim excerpere placuit.

ratione ſuſtinuit (*e*). *Pollebat certe* DREXELIUS , *quantumvis infirmus & debilis , præcipua quadam dicendi vi , & eloquentia mira , cujus jam tum , cum ſtudiis dabat operam , latina non minus quam vernacula oratione, prorſus eximia ſpecimina ediderat. Itaque ſummis quibusque cathedris , niſi virium imbecillitas obſtitiſſet , par omnino habebatur. Ipſe obedientiæ nixus religione , debilitatem corporis magnitudine animi , fiduciaque ſubſidiorum cæleſtium fulciebat.* Neque ſpe ſua deceptus eſt *Noſter* , ſed viribus ſupra humanum etiam modum auctus , ita aulici Eccleſiaſtis partes toto , quod dixi, ſat longo temporis ſpatio tuitus eſt , ut *nullo unquam , quo perorandum erat , die non integro corporis vigore , non voce ac ſpiritu verbis pari , ad multitudinem audiendi cupidiſſimam diceret. Erat quidem pertennis Hieremiæ noſtro vox atque exilis , ceterum clara ſatis , neque ingrata , aut quæ locum , in quo dicendum eſſet , minus impleret. Dictio eloquens inprimis , temperateque , ut ſacrum Oratorem decet , ornata , erudita eadem ac copioſa , neque gravior doctrina ac pondere ſententiarum , quam candore quodam ingenii pietatisque ſapore ſuavior. Nihil fucatum in verbis , nihil in geſtu , voce , pronunciatione affectatum. De ſe ipſe , cum indicaret ſeſe apertius ,* liber , *inquiebat* , natus ſum : nec auribus ſervire didici , aut ad pompam loqui. *Nimirum fructum profectumque animorum , non gloriam ſuam , non applauſum , non Oratoris nomen dicendo aucupabatur. Animis vero quo magis prodeſſet , vim nervumque orationi aſſidua cum Deo communicatione jugique precandi ſtudio conciliabat. Piiſſimæ præterea vitæ exemplis , quid-*

quid

(*e*) V. *Hiſtoriam Prov. Soc. Jeſu Germ ſuper. Tom. V.* pag. 411. & ALLEGAMBE *Biblioth. Script. Soc. Jeſu*, pag. 181.

quid afferebat in medium, non declarabat ſolum, ſed commendabat maxime, perſuadebatque, multo factis quam verbis eloquentior. Itaque gratulabantur ſibi paſſim omnes, cum vel videre DREXELIUM, *non modo cum audire contingeret: ſtantisque in ſuggeſtu ante ſpecies, quam oratio audientes movebat: nec deerant, qui majus quiddam, quam humana ferret conditio in concionantis vultu habituque conſpicerent* (*f*). Hæc de præclaris dotibus Concionatoris noſtri aulici.

Accidit per ea tempora, ut MAXIMILIANUS, Dux *Bavariæ*, heterodoxis in *Suevia* pacem inire compulſis, totam vim belli in *Auſtriam Bohemiamque* vertendam ſibi ratus, clariſſimam illam, & inſigni ad *Pragam* victoria nobilitatam expeditionem, anno MDCXX. a menſe Quintili in Novembrem, ſuſciperet. Adductus ergo in eam abs ſereniſſima Principe *Eliſabetha*, conjugi MAXIMILIANO *Schardingæ*, ſuperioris *Bavariæ* haud ignobili oppido, occurrente & DREXELIUS eſt una cum aliis e *Societate Jeſu* octo: & a Duce *Lincii*, quam urbem brevi in ſuam poteſtatem redegerat, dominicis feſtisque diebus in paroeciæ urbanæ templo ad concionem dicere juſſus. Interim ne temporis, quo a ſacris occupationibus vacare dabatur, inane atque incaſſum abiret, *Noſter* res bellicæ expeditionis illius una cum *Joanne* BUSLIDIO, qui & ipſe quà conſcientiæ arbiter Principem comitabatur, in commentarios redegit: &, MAXIMILIANO integra adverſus hoſtes victoria potito, Principis verbis

(*f*) Qui de hoc plura ſcire avet, adeat mox citatam *Hiſtoriam*, *Tom. V. p.* 411.

bis litteras ejus rei nuncias ad ſummum Pontificem exaravit (g).

Neque ſatis habuit DREXELIUS noſter, ſola voce animarum quæſtum facere; parumque gloriæ divinæ conſultum iri credidit, niſi illa a ſe calamo quoque, quantum fieri poſſet, proveheretur. Ad ſcribendum itaque animum adjiciens *pia* magno numero *Opuſcula* edidit, *quæ non uſu minus, quam fama, per orbem chriſtianum hodieque celebrantur, ea exarata atque elaborata ſtylo, quem nemo non admiretur. Pietatem ibi ac religionem certare videas cum eruditione; ſanctitatem, gravitatemque doctrinæ cum ſuavitate orationis, atque amœnitate; ſimplicitatem demum, ac modeſtiam ſcriptionis totius cum dignitate, atque elegantia: ut haud facile ſtatuas, magisne afficiat animos delectando, an docendo inſtituat?* Hoc, *ait in ſuo Phaetonte*, laboro, ut e meis Scriptis, ſi qui velint, pie diſcant ac pudice vivere. *Profana porro, quam ex ethnicis quoque Scriptoribus, puta Epicteto, Seneca, Plinio aut Poetis hauſerat, eruditione (id quod vitio quidam vertere illi videbantur) non ut magiſtra virtutis, ſed miniſtra duntaxat & pediſſequa, ubi res & locus tuliſſet, aliorum Scriptorum more, neque adeo ſine exemplo graviſſimorum Eccleſiæ Patrum, ipſiusque etiam gentium Doctoris, utendum ſibi exiſtimabat: eoque id magis, quod hac velut eſca illecti exquiſitioris eruditionis homines, quibus quo delicatior, eo & faſtidioſior guſtus, adduci citius ad rudem ſimplicemque chriſtianæ pietatis diſciplinam poſſe viderentur. Itaque incredibile dictu eſt, quanto exemplarium numero religioſiſſimi hujus Scriptoris Opuſcula omnia, quam* brevi

(g) Conſule *Hiſtoriam Soc. Jeſu Germ. ſuper. Tom. IV.* p. 240. 243. 244. 249. 250.

brevi temporis ſpatio, aliis aliisque typis recuſa, in omnes late regiones, cum vixdum in lucem prodiviſſent, pervaſerint; ita ut omnibus ferme cultioris Europæ linguis loqueretur repente DREXELIUS, *atque innumera hominum millia doceret abſens, & ad omnem virtutem pietatisque culturam informaret* (*h*). Dictis conſonant, quæ NICERONIUS in Libro: *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire &c. Tom. XXII. p.* 372. habet: „Ses fonctions de Prédicateur ne „ l' empechêrent pas de compoſer un grand nom- „ bre d' Ouvrages pour l' inſtruction de la jeuneſſe. „ Il a ſçû y meler l' agreable avec l' utile, & tem- „ perer le ſerieux des préceptes, qu' il y donne, par „ l' agrement des petites hiſtoires, qu' il ne manque „ jamais d' y joindre. Les figures fort jolies, qu' il „ y fait ajouter, ont auſſi leur merite. C' eſt ce, qui „ les a fait rechercher avec tant d' empreſſement: „ & ce, qui en a multiplié les editions. On les a „ même traduits en diverſes langues. " Ita NICERONIUS, quibus nil addere habeo, niſi haud juvenibus ſolum, ſed & viris ſenibusque ſcripta videri, quæ DREXELIUS ſcripſit.

Quæ hactenus in laudem *Noſtri* dicta ſunt, inferius, ex præſentis Operis inſtituto, cujus ſcopus præcipuus in eo poſitus eſt, ut litteraria narrentur, fuſius enucleatiusque a me exponenda ſunt. Qua de re hoc loco *monuiſſe ſufficiat: inter omnes, quas orbis vidit, editiones plurimas eminere Opuſcula primis typis Monachii excuſa; utpote quæ Auctor ipſe recognovit, correxit, ac perappoſitis & exquiſitis imaginibus atque emblematis, a perinſigni ſculptore Raphaele* SADELER *in ære inciſis, quibus ſublatis ſcri-*

(*h*) Ita verbotenus *Hiſtoria Soc. Jeſu Germ. ſuper. Tom. V. p.* 412.

ſcribentis mentem aſſequi haud facile licet, exornavit. Quid quod alias editiones torpor & ſocordia Librariorum, ut fieri amat, compluribus erratis macularit.

Quanti vero a doctiſſimis auibusque, clariſſimisque viris DREXELIANA *quolibet lucubratio fieret, ex epiſtolis, quas multi ad illum, etiam exteri atque ignoti, luculentas prorſus & officii plenas dederunt, exiſtimare licuit. Ex omni numero unum juverit alterumque exemplum ſubjicere. Petrus Aloyſius* CARAFA, *e Ducibus Nuceriæ, epiſcopus Tricarienſis, Sedisque apoſtolicæ ad Rheni tractum & finitimas partes inferioris Germaniæ Legatus Leodii ſcribens* DREXELIO 19. *Aprilis, anno* 1630. *inquit:* „Quam „ ſero in manus meas Paternitatis veſtræ Opuſcu- „ la venerunt, tam avide ea evolvo quotidie, & „ eadem lectitando fatigari facilius, quam ſatia- „ ri me poſſe, ſuaviſſime experior. Admiror in „ elocutionis flore pietatem, gravitatem ſententia- „ rum in verborum concinnitate, acumina inſu- „ per & lumina, & dicendi docendique promi- „ ſcuam in eis elegantiam non magis ſuſpicio, „ quam amo. His porro artibus incitatus volui „ abſens cum Paternitate veſtra amicitiam inire, „ & animi mei perſtudioſa officia omnia offerre. „ Vetus cum hominibus Societatis Jeſu mihi eſt „ conſuetudo, quam a puero cum litteris & mori- „ bus primis hauſi, ac ſemper colui. " *Hæc* CARAFA, *cui cum* DREXELIUS *anno eodem Opuſculum de Inferno dedicaſſet, xeniique loco obtuliſſet, ille alteris litteris agens gratias, inquit:* „ Hunc ego libel- „ lum, inſcriptum nomini meo, accepi feliciſſime „ ſub ipſas Calendas Januarias, nec xenio gratio- „ re aut magis honorifico potuiſſet me Paternitas „ veſtra exhilarare. Ut donum permagni æſti-

„ mem,

„ mem , facit præſtantia Auctoris , quem amo & „ colo , & connumero in præcipuis viris hujus ſæ„ culi. Glorior a pueris me educatum fuiſſe, ſub „ diſciplina Patrum Societatis Jeſu vel ex eo ca„ pite , quod is Ordo viris eximiis abundet in om„ ni eruditionis laude : inter quos habebitur ſem„ per a me in honore præcipuo P. *Hieremias* DRE„ XELIUS , charum & clarum nomen , & cui me „ nominibus plurimis obſtringi fateor.

His litterarum fragmentis integram unam adjungere lubet epiſtolam, quam inde ab Italia Marcus Antonius SCIPIO *de S. Benedicti familia Scriptori noſtro miſit:*

„ Admodum Reverende in Chriſto Pater !

„ Tuis aſceticis libellis , quos libenter evolvi , „ meminiſſe non poſſum , quicquam aliquando li„ matius perfectiusque me legiſſe. Rara omnige„ næ eruditionis & doctrinæ copia , ſelectis exem„ plis , eleganti ſtylo, dilucida brevitate , & (quod „ caput eſt) jucundis pietatis ſenſibus & ſtimulis „ ubique referti legentis animum ſuaviſſime affi„ ciunt, validiſſime commovent , & feliciter tri„ umphant. Nihil in eis non amo , ſuſpicio , ex„ oſculor. Quid quæris ? Plane aurei mihi viden„ tur , & ad meum palatum confecti. Faxit De„ us , tam locupletis theſauri opibus extremæ vir„ tutis ac pietatis , qua premor , inopiæ abunde „ proſpiciam. Equidem , niſi longe alter ab alte„ ro abeſſemus , quo te , quem unice amo & co„ lo , quamprimum adire , præſentem videre & „ alloqui mihi liceret , enixe a meis moderatori„ bus contenderem. Nunc autem , quoniam id „ ipſum per longa regionum intervalla non datur , „ quod reliquum eſt , ut hiſce litteris te conveni-

„ am, & amorem obſervantiamque erga te me-
„ am conteſter, libentiſſime uſurpo. Quin ope-
„ ram meam, etſi pertenuem & pene nullam, pro-
„ lixe tibi deferens ac dicans, illud viciſſim a te pro
„ tua humanitate & de aliis bene merendi cupidi-
„ tate ac ſtudio poſtulare non dubitem, ut ad ea,
„ quæ hactenus ſcripſiſti, divina prorſus Opuſcula,
„ geminum adhuc adjectum velis: de auguſtiſſimo
„ ſcilicet Miſſæ ſacrificio, & religioſa Diſciplina ſeu
„ de ſacerdotum & religioſorum hominum Obliga-
„ tionibus. Hoc tu munere tam præclaro non
„ me ſolum, ſed plures alios, qui mecum illud
„ ardentiſſime cupiunt, & ſummis precibus a te
„ efflagitant, inſigniter demerebere. Ad me quod
„ attinet, illud tibi certiſſime perſuaderi velim,
„ nihil mihi æque gratum jucundumque eſſe poſſe,
„ quam ſi quid aliquando tua cauſſa poſſe & præ-
„ ſtare contigerit. Vale, præſentis ævi Phœnix
„ ac Phœbe! ætatem ſanam, vegetam & bene
„ longam, ut tuis lucubrationibus humanas men-
„ tes, quod jam diu egregie facis, plures adhuc
„ annos copioſe illuſtres, & luculenter ad pieta-
„ tem accendas. Ex Placentino S. Xyſti cænobio,
„ Nonis Februarii, 1631. "

Ita ille; ita alii etiam, qui, de Scriptore noſtro quid ſentirent, conſimilibus litteris prodidere: quos inter & *Sigismundus* III. *Poloniæ* rex nominatim laudandus, qui litteras benevolentiæ & beneficentiæ plenas ad *Noſtrum* dare non eſt dedignatus; uti inferius, inter Opuſcula *Noſtri*, *No. IX.* docebitur.

Neque vero catholicis tantum lectoribus DREXELII *ſcripta, ſed heterodoxis etiam paſſim in pretio fuere. Complures certe iſtorum Monachium profecti,* in

in parte quadam felicitatis ponere videbantur , ſi vel conſpicere Drexelium ac noſſe de facie licuiſſet. Abſentes alii , qui libros ejus pervolverant , hac una re dolere ſe oſtendebant , quod non videre ſcriptorem & coram colere officiis contingeret. Et hujus quidem modi exempla in iis etiam *Commentariis* , in quibus belli Suecici res deſcriptæ extant , ſe legere meminiſſe , monuit *Auctor Tomi V. Hiſtoriæ Provinciæ Societatis Jeſu Germaniæ ſuperioris, pag.* 413. cujus ipſiſſimis verbis , per hujus narratiunculæ contextum , tum ſæpius , tum maxime in hoc loco uti placuit ; quod *Tomus* ille in paucorum manibus ſit , egoque me meliora , quam Auctor domeſticus de *Noſtro* attulit , certioraque allaturum eſſe vix ſperaverim. Igitur , quem hactenus ſecutus ſum , in poſterum etiam ſequar ; ita tamen , ut , quæ ex illo transſcribere juverit , dum aut incluſa uncis , aut aliis characteribus (*curſivos* vocant) impreſſa viſuntur , ſuo Auctori facile a quocunque legentium reddi queant.

Et hæc quidem de Acatholicis *Noſtro* ſynchronis eorumque erga DREXELIUM obſervantia *Hiſtoria Soc. Jeſu* , *l. c.* Quantum autem honoris eidem , ejuſdemque ſcriptis a ſubſequentium temporum heterodoxis habitus ſit , ex *Daniel. Georg.* MORHOFII *Polyhiſtore.* 1747. *Tom. I. pag.* 992. colligere pronum eſt , dum inter alios complures præſtantiſſimos *communium ſacræ eloquentiæ locorum* Scriptores *Noſtrum* connumerans ait : *Et quid de Hieremia* DREXELIO *dicemus celebri Jeſuita Germano , cujus libri propemodum omnes argumenti practici & ſacri meditationibus ſylvam præbent , & proinde etiam magno ſtudio teruntur , & ſeorſim & junctim editi , etiam in Germanicam linguam... converſi.* Sileo *Henning.* WITTE , & *Georg. Matth.* KOENIGI-

NIGIUM, quorum alteri in *Diario biographico*, alteri in *Bibliotheca veteri & nova*, *Noſter* minime illaudatus abiit. Sileo *Nic. Hieron.* GUNDLINGIUM, apud quem in Libro: *Hiſtorie der Gelahrheit*, *Tom. III. p.* 4839. *Noſtrum* inter claros Germaniæ Rhetores ſæculi XVII. annumeratum invenio. Unum ſubdere libet *Jo. Chriſtoph.* WENDLERUM, qui in *Diſſertatione II. de Meritis Reipublicæ Auguſtanæ in Rem litterariam, pag.* 42. ſequenti encomio *Noſtrum* mactat: *Nec omittendus etiam Hieremias* DREXELIUS *e Soc. Jeſu, qui* 1638. *obiit. Hic, Seneca ſæculi hujus dictus, inſignis Monachii Theologus & Orator in Bavaria extitit.... De operibus ejus* SCHEURLIUS (in *Bibliograph. moral.*) *ait, quod eximiam in iis ſemper deprehenderit moderationem...* DREXELIUM *etiam* VOGLERUS (in *Introduct. in Not. optim. Libror. p.* 45.) *non minus ob inſignem moderationem, quam variam eruditionem laudat.* Iſta WENDLERUS tam apte, quam concinne.

Hanc porro inuſitatam ac propemodum immenſam, qua omnis DREXELII *ſcriptio abundat, eruditionis copiam præcipua quadam non diligentia modo ac ſedulitate, verum arte etiam atque induſtria inde ab adoleſcentia comparaverat ſibi, auxerat indies & accumularat. Quæcunque ſcitu vel memoratu digna accepiſſet unquam oculis auribusve; quæcunque libris ullis, monumentisque litterarum prodita legiſſet* (*Vix autem erat Scriptorum genus, quin lectitaret*) *altius in animum ſolebat demittere: utque conſuleret memoriæ, in tabulas, in adverſaria, in commentarios referebat Excerpta, certoque ordine, quo promptius poſtea reperirentur, diſpoſita conſervabat. Qua quidem de re admirabilia quædam, &, niſi proprio ſcripto eoque peculiari* DREXELIUS *ipſe demonſtraſſet, incredibilia propemodum tradita accepimus. Lecto-*

rem

rem noſcendi cupidum ad Opuſculum illud remittimus , quod anno vitæ ultimo Noſter rogatu Sociorum , Præſidumque juſſu publici juris fecit inſcripſitque Aurifodinam Artium & Scientiarum omnium , *ubi exquiſite multa ſciteque,more ſuo , de arte illa ſua atque excerpendi ſollertia diſputat. Unum illud nobis dixiſſe ſuffecerit : Excerptorum* DREXELII *tam grandem fuiſſe tamque locupletem theſaurum , ut , quamquam edita tanto numero Opuſcula funditus illum exhauſiſſe videri poterant , reſiduæ tamen materiæ tanta ſuperarit copia, quanta binis minime Opuſculis in ſingulos annos edendis , ſi vel centum ipſos Scriptor annos provixiſſet , abunde ſuffectura eſſet. Sic enim ipſe de ſe in* Aurifodina : *candidiſſime dico , inquit , da mihi centum annos & acriores oculos ; & ego in annum quemlibet duos minimum libros polliceor materiæ diverſæ , quam liberaliter , ſat ſcio , ſubminiſtrabunt Excerpta.*

Hæc de lucubrationibus a *Noſtro* tum editis , tum (ſi vita ei ſuperaſſet) edendis , de illorum præſtantia, elegantia , vi ac dignitate , de communi legentium omnium adprobatione ſumma , deque tota litteraria DREXELII penu dicta ſatis ſunto! Poſtulare modo res & locus videtur , ut de pietate quoque ac virtutibus , quæ certe maximæ in *Noſtro* , plurimæque fuerunt , dicam. Verum iſta, quippe a præſentis Operis inſtituto alieniora,ſilentio præterire , & noſcendi avidos obſecraſſe malim , ut laudatam *Hiſtoriam Provinciæ Societatis Jeſu Germaniæ ſuperioris, Tom. V. pag.* 414. *& ſeqq.* conſulant , cujus Auctor haud ſatis verborum invenire poſſe ſibi viſus eſt , quibus terrenarum in *Noſtro* rerum omnium contemptum , contra cæleſtium & æternarum ſitim ardentiſſimam , orationis ſtudium, humilitatem animi , religioſam paupertatem , pro-

priæ

priæ voluntatis abnegationem, miram in victu temperantiam, qua imbecillam corporis valetudinem fulciebat maxime, aliaque virtutum decora plurima abunde deprædicaret. Neque tamen iſta omnia impedire potuerunt; quo minus ſiniſtris rumoribus fama *Noſtri* vapularet (Vide inferius, inter Opuſcula *Noſtri*, No. VIII.) ac ſi relictis Sacris catholicis adverſæ parti ſe denuo junxiſſet.

Sed hæc conſulto miſſa faciens ad mortem *Noſtri* pergo, quæ ei non ex morbo aliquo, cui materiam omnem ſtupenda temperantia ademerat, ſed mero virium, quas aſſidui labores exhauſerant, (*Laborare namque ad extremum usque halitum non deſtitit, ultimam vere manum imponens libro, quem luci publicæ tunc deſtinarat*) defectu accidit. *Quemadmodum autem Bavariæ Principibus omnibus ſemper chariſſimus atque acceptiſſimus fuit, ita ubi eum, quem nunquam antea ægrotaſſe norant, de vita jam periclitari intellexerant, ſummopere indoluere, præſertim* MAXIMILIANUS *Elector; qui medicorum ſuorum principi ſalutem decumbentis, quam potuit, impenſiſſime commendans palam aſſeverare non dubitavit:* Reipublicæ chriſtianæ plus intereſſe vivere DREXELIUM, quam MAXIMILIANUM. *Cumque hunc ad ſe inviſere velle* DREXELIUS *comperiſſet, tanto honore ſe prorſus indignum reputans, nihil non egit, ab hoc illum propoſito ut averteret. Prohibere tamen non potuit, quin* ALBERTUS *Dux*, MAXIMILIANI *frater, cum filiis principibus & aulæ proceribus ad lectulum accederet: qui omnes valere Patrem chariſſimum atque amantiſſimum, ac bene precari ſibi quoque de cœlo, quandoquidem illuc jam pergeret, collacrymantes juſſerunt. Sibi dein relictus* inter pia, quæ morituríentem decent, exercitia vitam, quam

pien-

pientiſſimam duxerat , fine pientiſſimo clauſit , *vultu, quo ſemper erat ad pietatem ſummamque tranquillitatem compoſito, placidiſſime animam exhalans, anno a partu Virginis MDCXXXVIII. decimo tertio Calendas Maji , media fere nocte, ætatis vero LVII.* (*i*).

Statim Rector Collegii Monacenſis , Georgius SPAISER, *Defuncti effigiem a celebri pictore* LOTHO (*k*) *depingendam atque a* SADELERO *in æs incidendam curavit, quam operi ejus poſthumo :* Noë, *inſcripto præfigere placuit. Corpus non communi Sociis ſepulchro illatum, ſed in Collegii Baſilica extra aram SS. Trinitatis humatum eſt.*

Reculas autem tenuemque ſupellectilem, quam moriens poſt ſe liquerat, viri ſummi juxta ac infimi efflictim & petivere & conquiſivere diligenter, permagna ſanctimoniæ ejus opinione commoti. De qua re accuratius cognoſcendi cupidis adeunda eſt *Hiſtoria*, ſæpiſſime a me laudata, *Provinciæ Soc. Jeſu , German. ſuper. Tom. V. p.* 419. 420.

Cæterum Epitaphium DREXELIO *cum nullum publice eſſet poſitum , ampliſſimum pio adornavit ſtudio P. Jacobus* BALDE , *idem ipſe, qui aulica in cathedra Monachii Noſtro concionator ſucceſſit* (*i*) ; *ſed*

&

(*i*) *Hiſtoria Soc. Jeſu , German. ſuperior. Tom. V.* pag. 410. 417. 419. *Phil.* ALLEGAMBE *Bibliotheca Scriptorum Soc. Jeſu, pag.* 181. NICERON *Memoires pour ſervis à l' Hiſtoire des Hommes illuſtres, Tom. XXII. p.* 372.

(*k*) Eſt is *Joannes Carolus* LOTH *Monacenſis*, Pictor p rquam famoſus, cujus Opera in palatiis Optimatum ſervantur. Vide *Abecedario pittorico, p.* 240. SANDRAT. pag. 319. & alios.

(*l*) Hoc in lucem exiiſſe non credo.

& Oden *illi, qua pollebat, arte cecinit* (*m*). *Elogium brevius Malachias* GEIGER *e Medicis Monacenſibus vir ſpectatiſſimus, idemque ſcriptis clarus ac* DREXELIO *æqualis in* Microcoſmo hypochondriaco (*Sic liber inſcribitur*) *vulgavit, ubi dum* Aloën, *ſeu Librum* DREXELII *de ſalubri victus parſimonia adverſus Matthæum* CLAUSS *defendit, inquit:*

„ R. P. DREXELIUS per viginti tres annos, etſi tenuiſſima eſſet valetudine, non tam corporis quam animi vigore auditorum ora meruit. Neque contentus audiri tantum, oculis ea quotidiana induſtria parabat ſubjicere, quæ pro concione dixiſſet, datis in uſum lucemque publicam tot libellis conſcriptis, quibus legentium deſideria irritabat magis quam explebat. Bene dixit. Bene ſcripſit. Bene vixit. Præſentis ævi ſui fuit Phoenix & Phœbus, potens verbo & opere, vivens tuba in cathedra, dignus trium Neſtorum ætatem vivere, ſi Deo ita viſum. Sed heu res humanas! Occidit ſol ille litterarum, virtutum viva imago, Eccleſiæ columen, Bonorum omnium delicium. Præmiſſus, non amiſſus: oblatus Deo, ſed ablatus nobis. Nec tam ipſe caret vita, quam vita caret ipſo. Secutus eſt præmiſſos. Præceſſit ſecuturos. Sequemur præeuntem. "

Hac ratione expoſitis vitæ mortisque DREXELII, Viri de orbe chriſtiano univerſo multo meritiſſimi, præcipuis circumſtantiis tempus monet, ut ad texendum Operum ejus catalogum progrediar; qua in re illud maxime incommodum accidit, quod,

(*m*) Invenitur *Ode* iſta inter *Jacob.* BALDE *Opera* junctim edita octo Voluminibus, in 8vo. 1729. *Monachii*, Impenſis *M. Happach & F. X. Schlütter. Tom. I. p.* 19.

quod, cum Scripta *Noſtri* ſingulari omnium adprobatione condecorata fuerint, ingentique aviditate & excepta & lectitata, editiones tam variæ tamque multiplices emerſerint, ut exacta omnibus numeris, perfectaque earum deſignatio dari haud queat; niſi omnes ſimul ad manus habeantur, id quod ipſum fieri vix poterit. Indubio eorum, quæ affirmo, argumento id unum ſuffecerit, quod Opuſcula *Noſtri* in una ſola civitate *Monacenſi* tria adeo, nec pauciora, typographæa jugi cudendi labore exercuerunt, prout inferius certiſſime commonſtrabitur. Quamquam autem memorata editionum varietas accuratam recenſionem plane prohibere videatur, tamen operam dabo quam maximam, ut, quotquot harum ad meam notitiam pervenerunt, ſtudioſe proponam. Utar autem in hunc finem opera *Philippi* ALLEGAMBE in *Biblioth. Script. Soc. Jeſu*, *pag.* 181. NICERONII in Libro, *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire des Hommes illuſtres &c. Tom. XXII. p.* 373. *Teoph.* GEORGII in Libro, *Allgemeines Bücher-Lexicon.* 1742. *Mart.* LIPENII in *Bibliothecis theologica* & *philoſophica.* fol. *Monito*, ad calcem hujus Vitæ apponendo, *Corn.* LEYSERII *typographi Monacenſis*, teſtis ſynchroni & ocularis: ita tamen ut editiones, ex anni indicio aliave re ſuſpectas, mox a me rejectas putet benevolus Lector: quod vera, quam multa afferre ſatius duxerim. His omnibus addam Editiones, quas oculis uſurpare mihimetipſi licuit. Itaque Opera *Noſtri* ſunt ſequentia:

I. *De Aeternitate Conſiderationes coram SSmis utriusque Bavariæ Principibus Maximiliano & Eliſabetha explicatæ &c. c. fig. Sadelerianis. Formis*

Nicolai Henrici (*n*) 1620. *in* 12°. Dedicatio *Noſtri* dirigitur ad memoratos Principes. Editio *ſecunda*, *Monacenſis*, correctior & locupletior. 1622. *Formis Annæ Bergiæ viduæ* in 12°. (*o*) Iterum *Monachii* 1629. *Duaci* in 32°. 1630. *Coloniæ* 1631. in 24. (*p*). Iterum *Coloniæ* 1634. 1706. *Monachii* 1634. in 12°. Item *Wallice*, *Oxonii* 1661. Item *Germanice*, *Coloniæ* in 12°. 1688. De reliquo in ſola civitate *Monacenſi* ab anno 1620. usque ad annum 1642. novem editiones factæ, & inſuper a *Corn.* LEYSERIO alia exemplaria *latina* 3200. *germanica* 4200. procuſa.

II. *Zodiacus chriſtianus locupletatus*, *ſeu Signa XII. divinæ Prædeſtinationis totidem ſymbolis explicata. in* 12°. *Monaci.* 1622. *c. fig. Sadelerianis. Formis Annæ Bergiæ.* Dedicatio anno 1622. die B.Virginis-Matris luſtratæ, data ad D. *Joannem*, Comitem in *Hohenzollern* &c. &c. Dictæ editioni præceſſit alia, de qua in *præfatione* DREXELIUS ait: *Permiſi quidem antehac*, *rogantibus amicis*, *Zodiacum edi* ... *ſed extemporalem illam & tumultuariam ſcriptiunculam nunc abolitam cupio & expunctam. Per te id liceat*, *mi Lector! obſecro*, *&*, *abjecto illo priore Zodiaco*, *hunc non tantum correctiorem*, *ſed altero tanto auctiorem ſubſtitue*.... Prodiit iterum *Mona-*

(*n*) V. *Philipp.* ALLEGAMBE *Biblioth. Script. S. J.*

(*o*) Extat in Bibliotheca *Colleg. Soc. Jeſu*, *Auguſtæ.*

(*p*) V. NICERON *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire des Hommes illuſtres dans la Republique des Lettres. Tom. XXII. p.* 373. Advertas velim, Lector! ubicunque vel NICERONIUS vel ALLEGAMBIUS *Monacenſes* editiones in 16°. factas eſſe affirmant, certe certius eos errare. *Monachii* DREXELII Opuſcula in 12°. plerumque vel in 24°. prodiverunt; uti ſequens *Monitum Corn.* LEYSERII clare oſtendit.

Monachii. in 24°. 1632. *Coloniæ.* 1632. (*q*). *Antverpiæ. in* 24°. De reliquo ſola civitas *Monacenſis* usque ad annum 1642. octo editiones orbi dedit; quibus addenda alia exemplaria *latina* 5200. *germanica* 3200. a *Corn.* LEYSERIO vulgata.

III. *Horologium auxiliaris, tutelaris Angeli. in* 24°. *Monachii.* 1622. item correctius, *ibidem*, 1623. in 24°. (*r*). Dedicatio a *Noſtro* primum ad Angelum cuſtodem, dein ad *parthenios* per ſuperiorem Germaniam *Sodales* ſcripta anno 1621. ipſo die *S. Michaelis.* Iterum *Antverpiæ.* 1623. in 32°. *Duaci.* in 32°. 1623. *Pariſiis.* in 4to. 1624. *Coloniæ.* in 12°. (*ex ultima Monacenſi editione ſeptima*) ut titulus habet. 1629. Et *germanice*, in 12°. *Monachii.* 1623. *Coloniæ.* in 12°. 1629. *Gallice* verſum prodiit hoc titulo: *La Montre de l' Ange Gardien, traduite par J. le Breton. Paris.* 1668. in 12°. Iterum ex alia verſione recentiore ſub titulo: *L' Ange Gardien traduit du Latin du P.* DREXELIUS. *Paris.* 1691. in 12°. (*s*). De reliquo una urbs *Monachium* usque ad annum 1642. ſex editiones protulit, quibus addere debes alia exemplaria *latina* 3200. *germanica* 2000. ex typographia *Corn.* LEYSERII profecta.

IV. *Nicetas ſeu triumphata Incontinentia.* in 12°. *Monachii. apud Nicol. Henricum.* 1624. Dicavit *Noſter* hoc Opusculum Sodalitatibus Marianis, *Ingolſtadienſi*, *Monacenſi*, aliisque tredecim. Aliam editionem *Monacenſem* anni 1625. in 24°. NICERONIUS, ruſusque aliam in 12°. ejusdem anni ALLEGAMBIUS memorant. Iterum *Pariſiis.* 1624. in 8°. & *Coloniæ.* 1631. in 12°. & *Duaci.* 1633. Solum

(*q*) V. NICERON *Memoires* l. c. p. 373.
(*r*) Ita NICERON, l. c. & ALLEGAMBE, l. c.
(*s*) V. NICERON, l. c. p. 374.

lum iterum *Monachium* usque ad annum 1642. tres editiones in publicum emiſit : prætereaque alia exemplaria *latina* 3000. totidemque *germanica* *Corn.* LEYSERIUS impreſſit.

V. *Triſmegiſtus chriſtianus* , *ſeu triplex Cultus Conſcientiæ, Cælitum* , *Corporis.* in 12°. *Monachii.* 1625. Dedicatio ad easdem Sodalitates data. 1624. die *S. Michaelis.* Alia Editio *Monacenſis* anni 1624. in 16°. (melius in 24°.) memoratur a NICERONIO: rurſus alia *Monacenſis* anni 1624. in 12°. laudatur ab ALLEGAMBIO. Prodiit iterum *Monachii.* 1627. & *Antverpiæ.* in 24°. *Germanice.* in 12°. *Coloniæ.* 1630. item *Auguſtæ.* in 12°. 1676. De reliquo *Monachii* usque ad annum 1642. quinque editiones procuſæ : quibus accedunt alia exemplaria *latina* 4000. *germanica* 2500. a *Corn.* LEYSERIO publico data.

VI. *Recta Intentio, omnium humanarum actionum Amuſſis* , . . . *pro ſuggeſtu explicata.* in 12°. *Monachii.* 1626. Conſecravit hoc Opus Auctor *Maximiliano* Electori & *Eliſabethæ* conjugi , Boiorum Ducibus. Alia editio ejusdem anni *Monacenſis* in 16°. (rectius in 24°.) commemoratur a NICERONIO. Iterum *Monachii.* 1629. in 24°. & *Coloniæ.* 1631. in 12°. & *Antverpiæ.* 1632. Cæterum in ſola urbe *Monacenſi* usque ad annum 1642. quatuor editiones factæ : impreſſa , has præter , a *Corn.* LEYSERIO exemplaria *latina* 3000. *germanica* 1200.

VII. *Heliotropium* , *ſeu Conformatio humanæ Voluntatis cum divina.* in 12°. *Monachii.* 1627. item in 24°. *ibidem.* 1627. *Antverpiæ.* 1627. in 24°. iterum *Monachii.* 1629. *Coloniæ.* 1630. in 16°. *Antverpiæ.* 1633. *Coloniæ* 1634. in 12°. *Germanice, Coloniæ.* 1687. Dedicavit *Noſter* hoc opusculum rurſus

ſus *Maximiliano* Electori & *Eliſabethæ* ejus conjugi ſereniſſimæ. In ſola urbe *Monacenſi* usque ad annum 1642. procuſæ editiones duæ, & præterea a *Corn.* LEYSERIO alia exemplaria *latina* 5500. *germanica*que totidem.

VIII. *Orbis Phaëton, hoc eſt: de univerſis Vitiis Linguæ. Partes II.* in 12°. *Monachii.* 1629. *c.fig. Sadelerianis.* Sacravit *Noſter* hoc Opusculum *Paridi* archiepiſcopo *Salisburgenſi.* In *præfatione* hæc occurrunt memoranda: *Dum hæc typis paro, ad me robuſtiſſima fama defertur ... de me ſpargi, ad alias partes me tranſiiſſe. Hic ego famam in jus voco, cum famæ auctorem non poſſim. ... Monachii ſum, & munere illo etiamnum fungor, quod mihi voluntas Dei ante annos complures ... tradidit. ... Neque tamen Dresdam, quam fama ingerebat, ejuravi ... modo conſtet, SSmum Saxoniæ Electorem ... non abhorrere, partis etiam noſtræ concionatorem admittere. Hoc interim ago, ut in priſca catholica Eccleſia ſancte moriar. Et quia Deus mandavit nobis unicuique de Proximo ſuo, hoc Deum ardenter rogo: ut fiat unum ovile & unus paſtor.* Aliam editionem anni 1629. in 16°. (melius in 24°.) item *Colonienſem* anni 1631. in 12°. aſſignat NICERONIUS. Item *Antverpiæ.* in 12°. 1632. *Germanice* 3. partes. *Coloniæ.* 1631. In urbe *Monacenſi* usque ad annum 1642. una editio facta: a *Corn.* LEYSERIO inſuper alia exemplaria *latina* 3000. *germanica* 2500 typis exſcripta. Juvat addere obſervationem NICERONII in hoc Opusculum: *On ne ſ' attendroit pas à trouver dans cet Ouvrage une queſtion ſinguliere de combinaiſons. En parlant dans le chapitre* 41. *de ceux, qui employent leur temps à des choſes inutiles, Drexelius demande, en combien de façons un Pere de famille*

peut placer à ſa table ſix perſones, qu' il a invité à manger? Et il trouve aprés ſix pages entieres de combinaiſons, qu' il peut le faire en 720. façons.

IX. *Gymnaſium Patientiæ.* in 12°. *Monachii.* 1630. *Coloniæ.* in 12°. 1630. *Antverpiæ.* in 24°. item *ibidem*, in 12°. 1634. *Germanice* in 12°. *Coloniæ.* 1030. iterum *ibidem in* 8°. 1754. Dedicatio a *Noſtro* ad *Alb. Staniſl.* RADZIVILL &c. dirigitur, in qua ita ſcribit: *Jam molior, gratam voluntatem, qua dabitur, in tam pronum & liberale ſceptrum* (puta *Sigiſmundum* III. *Poloniæ* regem, cui primam 7. Opuſculorum ſuorum Collectionem in 4°. 1628. de qua paulo inferius dicetur, ſacraverat) *exhibere. Nunquam tamen regias ad me litteras benevolentia ac beneficentia pleniſſimas ſat dignis officiis celebravero.* Ait præterea, ſe *Dillingæ* Rhetorices præcepta tradentem, unum ex illuſtri RADZIVILLIORUM gente diſcipulum habuiſſe. De reliquo *Monachii* usque ad annum 1642. una editio in vulgus exiit, præter alia exemplaria *latina* 4000. *germanica* vero 5400. a *Corn.* LEYSERIO cuſa.

X. *Aeternitatis Prodromus, Mortis Nuntius, quem Sanis, Aegrotis, Moribundis ſiſtit Hier.* DREXELIUS. in 12. *Monachii.* 1628. *c. fig. Sadelerianis.* Dicavit hoc Opuſculum *Noſter Eliſabethæ* Duciſſæ *Bavariæ.* Iterum *Monachii* 1628. in 16°. (rectius in 24°.) Rurſus *ibidem* 1630. in 12°. Solum *Monachii* usque ad annum 1642. duæ editiones prodivere, inſuperque alia exemplaria *latina* 4000. *germanica*que 3500. e prælis *Corn.* LEYSERII.

XI. *Tribunal Chriſti, ſeu arcanum ac ſingulare cujusvis hominis in morte Judicium.* in 12°. *Monachii.* 1631. item *ibidem* in 24°. *Duaci.* in 24°. 1634. *Coloniæ* in 24°. 1635. item *ibidem*, eodem anno, in

in 12°. *Germanice*, in 4°. *Auguſtæ*, ab *Alb.* PEEZ verſum. *Monachii* usque ad annum 1642. a *Cornel.* LEYSERIO impreſſa exemplaria *latina* 4000. *germanica* 2400. Dedicavit hunc laborem ſuum *Noſter* epiſcopo *Friſingenſi*, *Vito Adamo.*

XII. *Infernus; Damnatorum carcer & rogus. Aeternitatis Pars II. in* 12°. *Monachii.* 1631. item *ibidem*, in 24°. *c. fig. Sadelerianis.* Rurſus Coloniæ. 1632. in 16°. *Avec neuf figures repreſentant* (ait NICERONIUS *l. c.*) *d' une maniere aſſez ſinguliere les ſupplices des Damnés.* Item *Antverpiæ.* 1631. & 1660. in 24°. & *Coloniæ.* in 18°. 1674. Dedicatio *Noſtri* ad *Petrum Aloyſium* CARAFAM, referta laudibus hujus Principis. In ſola urbe *Monacenſi* usque ad annum 1642. a *Corn.* LEYSERIO publicata exemplaria *latina* 4000. *germanica* 4000.

XIII. *Cælum*, *Beatorum civitas. Aeternitatis Pars III.* in 24°. *Monachii.* 1635. Dedicatio *Noſtri*, haud dubie ob bellicos illorum temporum tumultus exulantis, ad *Henricum*, epiſcopum *Auguſtanum* data ex Aſceterio *Ranzovienſi Canon. Regul. S. Auguſtini* ad *Oenum* Natalitiis feriis D. Jeſu 1634. in qua tum privatam benevolentiam abs dicto epiſcopo *Dillingæ* ſibi exhibitam, tum ejusdem in *Societatem Jeſu* univerſam beneficia laudat. In præfatione ſequentia habet: *Imo etiam extra oleam jam ſenex ſaltare, &, poſt ſacras, denique profanas etiam ſcriptiones (breves illas, ſed ſpero utiles) propinare cogito:* quas illas? quæres; Ego quidem ignoro, niſi forte ſit *Aurifodina Artium*, de qua inferius *No. XIX.* Recuſum *Antverpiæ* in 12°. 1636. item *Germanice, Monachii.* in 12°. 1637. A *Cornel.* LEYSERIO latina exemplaria 2500. germanica 1500. usque ad annum 1642. typis emiſſa.

XIV. *Virtutis Speculum.* in 12°. apud *Corn.* LEYSERIUM. Hoc *germanica* ſolum lingua conſcripſit *Noſter*; complectitur autem *Vitam Sermæ Eiiſabethæ*, *Lotharingæ*, *Electricis Bavariæ*. Neſcio, quo ſiniſtro fato acciderit, ut *Noſtri* lucubratio hæc ad manus meas pervenire nequiverit.

XV. *Rhetorica cæleſtis*, *ſeu attente precandi Scientia.* iu 12°. *Monachii.* 1636. (non 1635. uti mendoſe ALLEGAMBIUS & NICERONIUS habere videntur) item *Antverpiæ* in 12°. 1641. item *ibidem.* in 8°. 1636. & iterum *ibidem*, in 24°. 1651. Dedicatio ad *Joann. Chriſtophorum*, epiſcopum *Eichſtadianum*, data 1636. Calendis Januarii.

XVI. *Aloë amari ſed ſalubris ſucci*, *Jejunium. Monachii.* in 12°. 1637. Dedicavit *Noſter Joanni*, epiſcopo *Conſtantienſi*, hoc Opuſculum, quod ſalubre quidem, at aſperum, pauciores lectores & antagoniſtam *Matthæum* CLAUSS, ut ſuperius dixiſſe me memini, nactum eſt. Recuſum fuit *Antverpiæ. in* 24°. 1643.

XVII. *Gazophylacion Chriſti*, *Eleemoſyna.* in 12°. *Monachii.* 1637. Sacravit *Noſter Alberto* epiſcopo *Ratisbonenſi*, morem ſuum proſequens; nam *Germaniæ* epiſcopos ſcriptionibus ſuis adire per vices, ac venerari ſecum conſtituerat. Recuſum *Monachii.* 1638.

XVIII. *Roſæ ſelectiſſimarum Virtutum*, *quas Dei Mater orbi exhibet.* in 12°. *Partes II. Monachii.* 1636. & 1637. Item *Antverpiæ.* in 24°. 1636. & *ibidem.* 1661. in 4to. Dicavit hanc opellam *Noſter Petro* PAZMANY, Cardinali & Archiepiſcopo *Strigonienſi*, epiſtola plena encomiis hujus Cardinalis. A *Corn.* LEYSERIO exemplaria *latina* 2000, usque ad annum 1642. publici juris facta.

XIX.

Digitized by Google

XIX. *Aurifodina Artium & Scientiarum omnium. Monachii.* in 12o. 1638. Inſcripſit hoc Opus *Noſter Joanni-Franciſco-Carolo, Maximiliano-Henrico, Alberto-Sigismundo*, fratribus: SSrum Ducum *Alberti* filiis, *Guilielmi* nepotibus, *Alberti* Pronepotibus &c. Recuſa *Antverpiæ.* in 24o. 1641. 1657. & 1658. in 18o. Nonnulla in hujus Opuſculi commendationem dicta ſunt ſuperius in *Vita Noſtri.* Paulo aliter ſenſit BOSIUS *de Prudent. & Eloquent. civil. comparanda*, p. 98. & cum iſto *Joann. Chriſtoph.* WENDLERUS in *Diſſertat. II. de Meritis Reipublicæ Auguſtanæ in Rem litterariam*, p. 43. BOSII verba hæc ſunt: *Si non tam res in eam congeſtas, quam modum excerpendi ab Auctore commendatum reſpicias, paſſim quorundam judicia parum æqua experta eſt, nec fortaſſis immerito. Nam ut alia incommoda taceam, ideo non admodum apta diſcentium ſtudiis eſſe videtur, quod unius ejusdemque argumenti excerpta in tot diverſas claſſes easque bipartitas lemmatum, adverſariorum, hiſtoriarum, locorum communium, verborum & ſententiarum, miſcellaneorum, & aliorum diſcrepat: quæ res non ſolum diſtrahit animum, & memoriam; ſed etiam nonnihil difficultatis cum in excerpendo, tum in inquirendo ſecum trahit;* Quibus WENDLERUS addit: *Nobis quidem excerpendi methodus, qua Iſaacus* CASAUBONUS *ſolebat uti, inprimis placet. Hic aliquod Syſtema ſibi bono ordine compoſitum in qualibet diſciplina eligebat, chartaque inſerta munda ſecundum ſeriem materiarum per modum allegatorum excerpebat, quæ notatu erant digna. Atque hac methodo vel noſtra ætate multos ... eruditiſſimos Viros uti, certo ſcio.*

XX. *Deliciæ Gentis humanæ Chriſtus Jeſus naſcens, moriens, reſurgens. Partes III. Monachii.*

 1638.

1638. in 12°. *Antverpiæ.* in 12°. 1638. & 1639. *Amſtelodami*, *apud Janſonium.* in 24°. 1659. A *Corn.* LEYSERIO exemplaria *latina* 1000. usque ad annum 1642. typis exſcripta. Sacravit hoc Opus *Noſter* rurſus *Maximiliano* Electori, & *Mariæ Annæ* Auſtriacæ, *Bojorum* Ducibus.

Sic expoſitis Opusculorum, vivente adhuc Auctore vulgatorum, editionibus ordo poſtulat, ad ejusdem Auctoris libros poſthumos enarrandos procedere. Horum primus eſt:

XXI. *Noëmus*, *architectus Arcæ*, *in Diluvio Navarchus deſcriptus & morali doctrina illuſtratus. Ex poſthumis libellus primus. Monachii.* in 24°. 1642. *Formis Corn.* LEYSERII. & *Antverpiæ.* in 12°. 1640. Inſcribitur Opusculum hoc, *Collegii Monacenſis Societatis Jeſu* nomine *Anſelmo Caſimiro*, *Moguntino* archiepiſcopo, ex voluntate Auctoris, cui partum hunc ſuum, e prælo exeuntem, videre per fata haud amplius licuit. *Corn.* LEYSERIUS 2000. exemplaria *latina* anno 1642. excudit.

XXII. *Joſephus*, *Aegypti prorex*, *deſcriptus & morali doctrina illuſtratus. Ex poſthumis libellus ſecundus.* in 12°. *Monachii.* 1640. Dedicatio nomine *Collegii Societatis Jeſu Monacenſis* ſcripta ad *Joannem Chriſtophorum*, epiſcopum *Chiemenſem.* Typis denuo exſcriptum *Antverpiæ.* in 24°. 1641.

XXIII. *Daniel*, *prophetarum princeps*, *deſcriptus & morali doctrina illuſtratus. Ex poſthumis libellus tertius.* in 12°. *Monachii.* 1640. *Antverpiæ.* in 24°. 1650. & 1652. Dedicatio nomine *Collegii Monacenſis Societatis Jeſu* data ad *Marquardum* epiſcopum *Eichſtadianum.* Hujus libri exemplaria *latina* 1000. usque ad annum 1642. *Corn.* LEYSERIUS impreſſit.

XXIV.

XXIV. *Tobias morali doctrina illuſtratus. Ex poſthumis libellus quartus.* in 12o. *Monachii.* 1641. Dedicatio rurſus nomine *Monacenſis Collegii Societatis Jeſu* data ad *Franciſcum Guilielmum*, epiſcopum *Oſnabrugenſem.* Recuſum *Antverpiæ.* in 12o. 1642. & in 24o. 1660.

XXV. *Palæſtra chriſtiana. Ex poſthumis libellus quintus.* in 12o. *Monachii* 1642. *Antverpiæ.* in 24o. *apud Cnobart.* 1648. Dedicatio, nomine *Collegii Monacenſis Societatis Jeſu* ad *Joannem* epiſcopum *Brixinenſem* dirigitur. *Corn.* LEYSERIUS hujus Opuſculi exemplaria *latina* 1000. anno 1642. prælo emiſit.

XXVI. *David regius pſaltes deſcriptus, & morali doctrina illuſtratus. Ex poſthumis libellus ſextus.* in 12o. *Monachii.* 1643. *Antverpiæ.* in 12o. 1643. & *ibidem*, in 24o. 1651. Dedicatio ad *Wolfgangum Wilhelmum*, *Comitem Palatinum Rheni* a *Collegio Monacenſi Societatis Jeſu* ſcripta.

XXVII. *Salomon regum ſapientiſſimus deſcriptus & morali doctrina illuſtratus. Ex poſthumis libellus ſeptimus & poſtremus.* in 12o. *Monachii.* 1643. Dedicavit hoc Opuſculum *Collegium Monacenſe Societatis Jeſu Philippo Guilielmo* & *Annæ Catharinæ Conſtantiæ*, *Comitibus Palatinis Rheni.* Ceterum illud duobus libris abſolvitur, in quorum uno *Salomonis* virtutes, altero vero ejus vitia exponuntur. Hinc fallitur & fallit NICERONIUS *l. c. Salomonem juſtum*, & *Salomonem fatuum* recenſens, ac ſi duo diverſa Opuſcula eſſent; cum unum ſolum ſit. Recuſum *Antverpiæ.* in 24o. 1644.

XXVIII. *Antigrapheus, ſive Conſcientia hominis coram SSmo Maximiliano Electore Bavaro illuſtrata* 1632. *nunc primum ... ſumptibus Joann. Wagner* biblio-

bibliopolæ Monacenſis, & formis Johann. Straſſer in lucem edita, *Neoburgi.* 1652. in 12°. Dedicationem nomine *Collegii Monacenſis Societatis Jeſu* ad *Erneſtum Haſſiæ Landgravium* ſcriptam excipit *Admonitio ad Lectorem*, quam hic delibare opus eſt : *Poſſet Antigrapheus* DREXELII *ſuppoſititius tibi videri, amice Lector ! quod longe poſt in lucem veniat, quam poſthumi plures publicati & Opuſcula omnia in geminos contracta ſunt tomos. At ubi P. Philippi* ALLEGAMBE *de Scriptoribus Societatis inſpexeris Catalogum*, & *Iconem Operibus* DREXELII *præfixam, facile errorem . . . deprehendes. Nam ille tibi & Antigrapheum diſertiſſimis verbis promittit, & iſta utrumque libellum per ſymbola clariſſime repræſentat. Nihil enim utrique deerat, eleganti charactere pro typo ab ipſo Auctore deſcripto, quam quod frontiſpicio carerent, capitum inſcriptionibus ; nec inſtar aliorum compacti eſſent. Hic ludicrus error tam utili ſcriptione te hactenus privavit. Tuum erit modo ignoſcere, & in horas proditurum etiam alterum, ſcilicet Jobum, benevole acceptare.*

XXIX. *Jobus*, *divinæ Providentiæ theatrum*, *coram SSmo Maximiliano Electore Bavaro exhibitus*, *anno* 1633. *nunc vero primum ſumptibus Joann. Wagner . . . & formis Joann. Straſſer in lucem datus*, *Neoburgi.* 1653. in 12°. Dicavit Opuſculum hoc *Collegium Monacenſe Societatis Jeſu Alberto Comiti Palatino Rheni.* Recuſum *Antverpiæ, apud Viduam Joannis Cnobbart*, in 16°. 1655. & *ibidem*, in 24°. 1660.

Poſt expoſitas pro viribus ſingulares Opuſculorum DREXELII editiones, jam de *Collectionibus* eorundem pauca dicenda ſunt. *Prima* omnium *Collectio* prodiit, Auctore adhucdum vivente, *Monachii*,

nachii, uno Volumine, in 4to. 1628. *Apud Melchiorem Segen bibliopolam*, & *Nicol. Henricum electoralem typographum.* Complectitur autem Opuſcula ſeptem primitus edita: *Aeternitatem*; *Zodiacum*, *Horologium*, *Nicetam*, *Triſmegiſtum*, *Amuſſim*, *Heliotropium*. Dedicatio hujus *Collectionis* data a *Noſtro* ad *Sigiſmundum* III. *Poloniæ* regem. Sequitur *Præfatio Bibliopolæ*, proponens ſex cauſſas, admodum graves, quibus ad cudendam iſtam *Collectionem* permotus fuit. Hanc Collectionem ſecutæ aliæ complures ampliores, & pro ratione temporis minus, magisve plenæ. Atque ut de *latinis* primo dicam, ſunt illæ, quæ ſequuntur: *Antverpienſis*. 1643. curante *Petro de* vos Ord. Eremit. *S. Auguſtini*. & 1657. 17. Volum. & 1660. & 1666. *Francofurtenſis*. *in* 4o. 2. Vol. 1680. *Lugdunenſis*. 1647. 1658 (*t*) 1677. *Moguntina*. 1645. 1647. 1651. Poſt latinas de *germanicis* Collectionibus dicendum, quarum non niſi quatuor deprehendi: *Moguntinam*. 1645. *Monachienſem*. 1660. *Wirceburgenſem*. 1662. *Francofurtenſem*. 1666.

Nolim autem ſpondere, me omnes vel *latinas* vel *germanicas* Collectiones percenſuiſſe: immo plures adhuc eſſe, quæ me penitus fugiunt, jure credo. Interim allatæ quindecim *Collectiones* novum, idque pergrave communis adprobationis, quam a probis quibusque aſceticæ DREXELII noſtri lucubrationes conſequi meruerunt, argumentum exhibere poſſe arbitror.

Enumeratis jam tum permultis ſingularibus Opuſculorum *Hieremiæ* editionibus, tum eorundem non paucis *Collectionibus* tempus monet, de

(*t*) Hujus editionis accuratam facit recenſionem NICERONIUS *l. c.*

de *Epiſtolis* DREXELII pauca commemorare. Harum nonnihil occurrit in libro *Eliæ* EHINGERI : *Velitatio epiſtolaris , ſeu* Συζητησις *placida quorundam Societatis Jeſu Patrum cum M. Elia Ehingero* &c. 8o. *Wittebergæ.* 1631. Dedit autem iſtis *Epiſtolis* anſam controverſia octuplex de totidem capitibus , ad Religionem ſpectantibus, EHINGERUM inter , & *Jeſuitarum Monacenſium* triadem, nimirum *Matthæum* RADERUM , *Joannem* BRUTSCHERUM , *Jeremiam*que DREXELIUM orta, maxima animorum moderatione, ſed absque optato ſucceſſu actitata. Alia *Epiſtola*, ad eundem *Ehingerum* exarata quidem a *Noſtro*, miſſa vero eidem a *Georgio* SPAISERO Rectore *Collegii Monacenſis Societatis Jeſu* , eoquod DREXELIO morte nimis maturata intercepto id efficere haud licuerat, extat in SERPILII *Epitaph. p.* 136. Eam SPAISERUS hoc encomio comitatus eſt : DREXELIO *abeunti ingemuiſſe te credo*; *civis tuus fuit* , *& profecto inter patriæ tuæ ornamenta numerabitur* , *ubicunque candor judicat.* *Honeſte egit ævum ſuum* , *nemini moleſtus. Vixit autem major ſemper cultu virtutum* , *quàm ulla alia re* , *quam in illo orbis miratus eſt.*

Supereſt, ut de iis ingenii fœtibus, quos *Noſter* edere ſecum conſtituerat, ſupremis vero fatis intervenientibus emittere in publicum haud potuit, breviter agam. Hos inter primum locum occupant *Diſſertationes XXIII. de Chriſto redivivo* , quas vulgaturum ſeſe , ipſemet in *Præfatione Tomuli III.* Libri: *Deliciæ gentis humanæ*, pollicitus, ſed, morte paulo poſt e vivorum numero raptus, poſt ſe relinquere coactus eſt. Succedit *Theſaurus* varius , copioſus , multiplex ſacrarum Concionum , e quo *Noſter*, quaſi ex equo quodam *Trojano* , Opuſculis ſuis aſceticis materiam depromere ſolebat:

bat. Finem denique faciunt *Funebria* , quæ ſibi Auctor vivus a pluribus ipſe annis paraverat. De poſtremis hiſce *duobus partubus* ſi *Monitum*, libro *Noſtri* poſthumorum ultimo inſcripto : *Jobus*, hoc loco ſubjecero , & operæ pretium , & tibi, Lector! jucundam rem facturum me merito arbitror. Eſt autem ſequens :

„ *Ad Lectorem.*

„ Nunc demum fidem ſuam exſolverit *P. Hieremias* DREXELIUS , amice Lector ! qui plura per „ *P. Philippum* ALLEGAMBE non promiſerat ; ta- „ metſi altero tanto plura , luce digna , relinquat. „ Nam quidquid *triginta* (*u*) Opuſculis accepiſti , „ duntaxat illud eſt , quod per *Adventum* & *Quadrageſimam* ab anno 1616. ad annum 1633. us- „ que dixit : reliquarum concionum , quas *feſtis* „ & *dominicis* per annum diebus , ſpatio *viginti* „ *trium* annorum habuit , nihil omnino vidiſti ; „ neque ſpes eſt THESAURI illius aliquando in lu- „ cem proferendi : eo quod ſupplendum de alieno „ foret , quod illis duobus temporibus per libellos „ editos ſubtractum eſt (Materias enim ſemel cæ- „ ptas , præterita Evangeliorum explicatione , „ continuabat tam feſtis , quam profeſtis diebus, „ quoad illas ad calcem deduxiſſet) nemo autem „ fa-

(*u*) Notes velim , Lector! *Opera* DREXELII eſſe numero tantum *viginti novem.* Totidem , nec plura , ALLEGAMBIUS *l. c.* enumerat. Eundemmet , minime majorem, numerum etiam NICERONIUS *l. c.* exhiberet , ſi *Salomonem* non in duo diverſa Opuſcula perperam diviſiſſet; contra *Vitam Eliſabethæ Bavariæ Duciſſæ* , uti fieri oppido debuiſſet, Opuſculis *Noſtri* annumeraſſet. Hæc autem *viginti novem* Opera numerum *triginta Voluminum* conficiunt ; quia *Orbis Phaëton* duo Volumina implet.

„ facile, Viri reverentia, in ſe ſuſceperit ſufficere,
„ quod deſideratur; quando etiam artifices, religione ducti, neque prece pretiove adduci poſſunt, ut manum operi admoveant alieno: Non quilibet, tametſi vellet, cum decoro defectum ſuppleturus eſſet. Dixerim enim facilius eſſe, vulpinam adſuere leoninæ, quam ſtylum ſtylo, conceptus conceptibus *Drexelianis* absque deformitate, notabilique diſcrimine attemperare. Proinde præſentibus contentus, amice Lector! fruere, ac præter FUNEBRIA (fortaſſis) quæ ſibi a pluribus annis Auctor ipſe paraverat & piorum hominum volvuntur manibus, ſi Superioribus publicanda videbuntur, ulterius nihil exſpectes. Vale. "

Quemadmodum autem præcedenti *Monito* dicti *Theſauri* concionum unquam videndi ſpes omnis ſublata eſt; ita quoque reliqua duo Opuscula, ſcilicet *Diſſertationes XXIII. de Chriſto redivivo*; & *Funebria* ſucceſſu temporis in publicum emanaſſe haud credo; certe nulla editionis alicujus vel vola, vel veſtigium tenuiſſimum mihi ullo tempore occurrit.

Tandem, ut promiſſa exſolvam, atque affirmata a me ſuperius & legendorum librorum *Noſtri* ingens voluntas, & vendendorum ſtupenda planeque incredibilis celeritas validiſſima certiſſimaque auctoritate muniatur, hoc loco *Monitum Cornelii* LEYSERII *electoralis typographi Monacenſis & bibliopolæ*, Opusculo Noſtri, NOE *architectus Arcæ*, 1642. *Monachii. in* 24°. præmiſſum, adſuere libuit, in hæc verba perſcriptum:

Typo-

Typographus
Lectori Benevolo.

Variæ mihi, amiciſſime Lector! ad te præfandi cauſſæ, prout multa quæſtionis varietas ſuper P. Hieremiæ DREXELII *libris ad me defertur. Quæſtiones plurimorum paſſim iſtæ ſunt:*

I. *Quâ urbe væneant hi libri? II. Qua librarii officina? III. Quibus typis, qua forma? IV. Quibus inſcriptionibus & titulis? V. Quo idiomate & quibus linguis? VI. Quis typographus prælo ſuo ſubjiciat autographum? VII. An non omnes cum futuris in certos tomos redigendi? VIII. Quot hactenus dicti Auctoris ſcriptiones, & quo numero excuſæ? Ad ſingula compendio fideli, licet minus eleganti, reſpondebo.*

I. *Monachii ab anno* 1620. *ad labentem hunc* 1642. *horum librorum omnes in lucem dati.*

II. *Typographæum eos edidit triplex: Annæ* BERGIN *viduæ, Nicolai* HENRICI, *& meum Cornelii* LEYSERII.

III. *Typis plane diverſis, uti & forma. Prima plerumque Editio eſt in* 12°. *ut vocamus: typis nomen eſt* Cicero. *Altera in* 24°. *his typis nomen eſt* Petit, *gracilis character, ſed pleriſque admodum gratus & facilis apportatu, quocunque libuerit.*

IV. *Inſcriptiones & tituli hactenus editorum ſunt iſti. Præceſſerunt* 1. Aeternitas. 2. Zodiacus. 3. Horologium. 4. Nicetas. 5. Triſmegiſtus. 6. Amuſſis omnium humanarum actionum, *recta Intentio.* 7. Hellotropium, *Conformatio humanæ voluntatis cum divina.* 8. Orbis Phaethon, *de Vitiis Linguæ;* tres partes. 9. Gymnaſium Patientiæ. 10. Aeternitatis Prodromus, *de Morte.* 11. Tribunal Chriſti, *de particulari Judicio.* 12. Infernus, *Damnatorum carcer & rogus.* 13. Coelum, *Beatorum civitas.* 14. Virtutis Speculum, *ab Auctore ſolum germanice ſcriptum.* 15. Rhetorica cæleſtis, *Oratio.* 16. Aloë amari ſed ſalubris ſucci, *Jejunium.* 17. Gazophylacium Chriſti, *Eleemoſyna.* 18. Roſæ ſelectiſſimarum virtutum; duæ partes. 19. Aurifodina Artium & Scientiarum omnium. Has ſcriptiones præmiſſas recte, arbitror, comitantur 20. Deliciæ gentis humanæ, *Chriſtus Jeſus naſcens, moriens, reſurgens;*

quibus jam accedit 21. Noemus, Architectus Arcæ, *primus ex poſthumis.* 22. Joſephus, Aegypti Prorex, *ſecundus ex poſthumis.* 23. Daniel, Hebræus Propheta, *tertius ex poſthumis.* 24. Tobias, *quartus ex poſthumis.* 25. Palæſtra chriſtiana, *quintus ex poſthumis.*

V. *Idiomate porro ad hoc temporis hi libri diverſo prodierunt.* 1. latino. 2. germanico; utrumque mea officina vendit. 3. gallico. 4. belgico. 5. italico. 6. bohemico. 7. anglico. 8. polonico. *De his eorumque auctoribus mihi quidem conſtat; ſed unam alteramve editionem turbæ bellicæ etiamnum premunt. Variis itidem locis hæ lucubrationes impreſſæ, ſed (ſit verbo venia) alicubi mendoſiſſime, Auctore non injuria ad tot ſordes ingemiſcente. Præ aliis ediderunt multa horum* Antverpia, Colonia, Duacum, Muſſipontum, Amſterodamum, Lugdunum Batavorum &c. *Inſpice, mi Lector! & vel aſpectu primo maximum tam typorum, quam induſtriæ typographicæ diſcrimen cernes.*

VI. *Inter typographos prælum meum & formæ poene hactenus omne autographum, quod ipſe correxit Auctor, acceperunt.*

VII. *Hæc ſcripta omnia certis tomis deſtinata & forſan olim, ſed ſero, forma illa grandiore lucem aſpicient. Omnia tempus habent, quantumvis ſerum.*

VIII. *Quod ad numerum jam editorum exemplarium ſpectat, vel animi cauſſa, mi Lector! eum inſpice, quem accurato calculo ſubjiciam & miraberis numeroſam chartæ molem, vixque tuis oculis credes, quod leges; ſed ſingillatim ac fideliter editiones omnes ad calculum revocabo, quo magis res certa fidem habeat. Et en calculos tam diſcretim ac ſpeciatim collectos, quam ad unam ſummam collatos.*

Ab *Anna* BERGIN Vidua edita ſunt:

Zodiacus, quatuor editionibus - - -	5400.
Horologium, tribus editionibus - - -	4000.
Aeternitas, tribus editionibus - - -	5400.
Summa horum	14800.

A *Nicolao* HENRICO edita ſunt iſta:

Aeternitas, ſex editionibus - - -	7600.

Horo-

Horologium, tribus editionibus - - -	7400.
Zodiacus, quatuor editionibus - - -	5200.
Nicetas, tribus editionibus - - -	6400.
Triſmegiſtus, quinque editionibus - -	6900.
Amuſſis, quatuor editionibus - - -	6200.
Heliotropium, duabus editionibus - -	3400.
Prodromus, duabus editionibus - - -	2800.
Orbis Phaeton, una editione - - -	1800.
Gymnaſium Patientiæ, una itidem editione -	1200.

Summa horum 48900.

A *Cornelio* LEYSERIO edita ſunt omnia ſubſignata exemplaria.

Idiomate latino.

Aeternitas, in 24 - - - - -	3200.
Zodiacus, in 24 - - - - -	5200.
Horologium, in 24 - - - - -	3200.
Nicetas, in 24 - - - - - -	3000.
Triſmegiſtus, in 24 - - - - -	4000.
Recta Intentio, in 24 - - - -	3000.
Heliotropium, in 24 - - - - -	2000.
— —, in 12 - - - - -	3500.
Orbis Paethon, in 24 - - - - -	3000.
Gymnaſium Patientiæ, in 24 - - -	2000.
— —, in 12 - - - - -	2000.
Prodromus, in 24 - - - - -	4000.
Tribunal Chriſti, in 24 - - -	2000.
— —, in 12 - - - - -	2000.
Infernus, in 12 - - - - -	2000.
— —, in 24 - - - - -	2000.
Coelum, in 24 - - - - -	2500.
Rhetorica cæleſtis. de Oratione, in 12 - -	1000.
— — — —, in 24 - -	1000.
Aloë. ; de Jejunio, in 12 - - - -	1000.
Gazophylacium Chriſti. de Eleemoſyna, in 12 -	1000.
— — — — —, in 24 -	1000.
Roſæ ſelectiſſimarum Virtutum, in 12 - -	1000.
— — — —, in 24 - - -	1000.
Aurifodina Artium & Scientiarum omnium, in 12	1000.
— — — — —, in 24 -	1000.

Deliciæ gentis humanæ, in 12	1000.
Noëmus, in 12	1000.
— —, in 24	1000.
Joſephus, in 12	1000.
Daniel, in 12	1000.
Tobias, in 12	1000.
Palæſtra chriſtiana, in 12	1000.
	Summa 64600.

Idiomate germanico (*).

Aeternitas, in 12	4200.
Zodiacus, in 12	3200.
Horologium, in 12	2000.
Nicetas, in 12	3000.
Triſmegiſtus, in 12	2500.
Recta Intentio, in 12	1200.
Heliotropium, in 12	5500.
Orbis Phaethon, in 12	2500.
Gymnaſium Patientiæ, in 12	5400.
Prodromus, in 12	3500.
Tribunal Chriſti, in 12	2400.
Infernus, in 12	4000.
Cœlum, in 12	1500.
Virtutis Speculum, in 12	1500.
	Summa 42400.

Omnium vero a *P. Hieremia* DREXELIO editorum librorum, quos *Cornelii* LEYSERII typographica & libraria officina venum hactenus propoſuit,

Summa 107000.

Omnium omnino exemplarium, quæ *P. Hieremias* DREXELIUS e triplici typographio *Monacenſi* in lucem vulganda dedit,

Summa 170700.

Hæc te, mi optime Lector! quæ volebas, ſcire volui, & ad majorem Dei gloriam recte valere.

(*) Utrum editiones *germanicæ* ſuperius allegatæ omnes Verſorem agnoſcant *Drexelium*, dicere non anſim; Pluſcula ab ipſo *Drexelio* in germanicam linguam transfuſa fuiſſe, monet *Philipp. Allegambe l. c.*

GRUE-

GRUEBER (*Joann. Georg.*)

„ *Joannes Georgius* GRUEBER, *Monacenſis* Bo-
„ jus, primum anno 1652. ætatis 16. Canonicum
„ Regularem in monaſterio ad *S. Crucem Auguſtæ*
„ in *Suevia* deſideranter admodum indutus, tum
„ ibidem poſt editam Profeſſionem, jam officio Sa-
„ cerdos, ſucceſſivis vicibus *Oeconomi* atque *De-*
„ *cani* quoque munere perfunctus, ut & aliquot
„ annis in venerabili Parthenone *Mariæburgenſi*
„ Diæceſeos *Eyſtettenſis* Confeſſarius, ac tandem
„ anno 1683. die 27. Septembr. in Præpoſitum Ca-
„ noniæ *SS. Andreæ* Apoſtoli & *Magni* Abbatis
„ ac Confeſſoris, in ſuburbio *Ratisbonenſi*, cano-
„ nice poſtulatus, atque authoritate ordinaria con-
„ firmatus, *ibidem* tamen pariter præter ſpem ur-
„ gentibus fatis anno 1686. die 28. Junii citius ex-
„ animatus. Quoad in Religione vixit, meritiſſi-
„ mus ſacri *Canonico-Auguſtiniani Ordinis* Zelo-
„ tes ardentiſſimus; vir multæ lectionis, & labo-
„ rioſus admodum, & plurimorum Scriptorum
„ illuſtrium, quos *Germaniæ* huic *noſtræ* ordine al-
„ phabetico inſeruimus, poſt *Sebaſtianum Ligoden-*
„ *tinum*, de quo infra (v. *Waldſeenſe*) fiet mentio,
„ collector ſolertiſſimus. Ejus opera typis vulga-
„ ta ſunt;

„ I. *Annus dierum memorabilium, ſeu Canoni-*
„ *cus, in ſingulos dies Virum illuſtrem e Canonico*
„ *Ordine per totum annum proferendo & colendo.*

„ II. *Spina alba de doloribus beatiſſimæ Vir-*
„ *ginis.*

„ III. *Breviarium virtutum ac mortis venerabi-*
„ *lis Virg. Catharinæ a S. Auguſtino, noſtri Or-*
„ *dinis Canoniſſæ, Canadæ in nova Francia.* Ty-
„ pis prodiit *Auguſtæ*, anno 1671.

 „ IV.

„ IV. *Alimenta pietatis Auguſtinianæ*, merito „ omnium Canonicorum manibus terenda. *Auguſtæ* 1677 (*a*).

„ V. *Vita Ven. Euphroſinæ Vicentinæ Canoniſſæ Regularis ex latino in germanicum vulgare* „ *traducta & typo vulgata.* 1675.

„ VI. *Manuale Georgianum. Auguſtæ.* 1679. „ (*b*) cui inſeruit *Panegyrin de S. Georgio Megalo-* „ *Martyre*, Authore *Joanne Chryſoſtomo* HAGER „ Can. Reg. *Garſenſi.* "

Hactenus *Franciſcus* PETRI in *Germania Canonico-Auguſtiniana.* Extat autem illa in *Collectione Scriptorum Rerum hiſtorico-monaſtico-eccleſiaſticarum. Ulmæ.* in fol. quam vide *Tom. III. p.* 139. & *Libr. cit. Tom. V. P. II. p.* 14. ubi agens de Præpoſitis Collegii *SS. Andreæ & Magni*, quod *Pedeponti* eſt, de *Noſtro* ſequentia ulterius refert :

„ *Jo. Georg.* GRUEBER . . . miros . . . in aſce- „ tica ſimul & ſcholaſtica litteratura fecit progreſ- „ ſus. . . . Exinde ejus & virtutis & ſapientiæ „ fama longius emanante in Præpoſitum & Archi- „ Decanum hujus (*Pedepontani*) Collegii . . . po- „ ſtula-

(*a*) Recuſum hoc Opus *Lincii.* in 8o. 1744. ſequenti titulo : *Alimenta pietatis Auguſtinianæ; ſeu Cultus triplex S. Auguſtini epiſcopi*, *S. Monicæ*. *SS. Canonicorum regularium &c.* Confer, ſi lubet, *Mart.* LIPENII *Bibl. theol. T. I. p.* 710.

(*b*) Plenus titulus hic eſt : *Manuale Georgianum*, *ſive Cultus S. Georgii Megalo-Martyris. Munus oblatum ejusdem Sancti Cognominibus.* in 8o. Dicavit *Noſter* hunc libellum *Georgio Chriſtophoro* Præpoſito Cann. Regg. *S. Auguſtini*, Collegii *Rottenmanenſis* : in qua *dedicatione* ſe *Monacenſem* patria, & in ea urbe humaniorum litterarum præceptis a Patribus *Societatis Jeſu* imbutum eſſe profitetur.

„ ſtulatus & confirmatus canonici Ordinis ſui ho-
„ norem & incrementum qua ſcriptis qua factis
„ promovit, & dubio procul promoviſſet ulterius,
„ niſi mors .... egregios tanti Viri conatus hebe-
„ taſſet, totius propemodum Germaniæ Canoni-
„ cis regularibus collapſam ſui Ordinis columnam
„ merito dolentibus, quibus tamen pro ſolatio...
„ reliquit eximia ingenii ſui monimenta:

„ I. Bibliographiam Canonico - Auguſtinianam,
„ ſeu Scriptorum illuſtrium totius Ordinis canoni-
„ ci, in II. Partes diſtributam. " (c)

- - - - - - - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - - - -

Meminit quoque *Noſtri RRmus Franciſcus*, modernus Præpoſitus *Pollinganus*, in *Elencho onomaſtico Scriptorum Ordinis Cann. Regg. S. Auguſtini.*

HERMANNUS *Ord. Prædicat.*

„ Fr. HERMANNUS *Auguſtanus*, Teuto, a pa-
„ tria & profeſſione ſic nuncupatus, a LUSITANO
„ ad annum 1355. claruiſſe dicitur, quem ex-
„ cipit *Poſſevinus*; ſed PIO & ALTAMURAE ad an-
„ num 1356. differre placuit. Scripſiſſe dicunt:

„ I. De Cognitione creata ſenſitiva & intel-
„ lectiva.

„ II. Quodlibeta plurima, compluresque Quæ-
„ ſtiones. "

Hactenus ECHARD & QUETIF in *Scriptoribus Ordinis Prædicatorum*, *Tom. I. pag.* 641. *Ambroſius de* ALTAMURA vero in *Bibliotheca Dominicana*, pag. 127. ſequentia de Noſtro habet;

(c) Conſulto nonnulla ex *Franciſci* PETRI narratione omiſi, ne tautologiis *Alphabetum* hoc increſceret.

„ HERMANNUS *ab Auguſta*, Germanus, Scho-
„ laſticus peritiſſimus, primum de more *Logi-*
„ *cam* & *Philoſophiam*, poſt ſacram *Theologiam*
„ pluribus annis explicuit. Tandem poſteris
„ conſulens ſcripſit: *De Cognitione creata ſenſi-*
„ *tiva & intellectiva; Item plura Quodlibeta &*
„ *plures Quaſtiones.* LUSITANUS *in Bibl.* PLODI-
„ US *P. II. L. II.* "

Vide ſis *Chriſtophorum* HENDREICH in *Pandectis Bran-denburgicis. Tom. I. pag.* 333. qui non ſolum dicta confirmat, ſed etiam addit: *Quidam ei* (Noſtro) *adſcribunt Poſtillam ſuper Cantica.*

Confer, ſi lubet, *J. Alb.* FABRICII *Biblioth. med. & infim. Latinit.*

IMHOFF (*Auguſtinus*)

Auguſtini IMHOFFII, Viri, ſive natalium ſplendorem, ſive animi & ingenii dotes, ſive virtutis atque doctrinæ laudem ſpectes, undequaque clariſſimi *Corbin.* KHAMMIUS (*a*) & *Franciſcus* PETRI (*b*) meminerunt. Horum veſtigia premens encomium *Noſtro* ſcribo.

Auguſtinus noſter illuſtri & perantiqua proſapia IMHOFFIORUM, quæ inter *Auguſtanas* gentes patricias cumprimis celebris exiſtit ſatus, anno partæ per Chriſtum ſalutis MDCLVIII. die XV. Novem-

(*a*) In *Hierarchia Auguſtana*, *P. II. colleg. pag.* 385. & *P. III. regul. pag.* 399. *& ſeqq.*

(*b*) In *Germania Canonico - Auguſtiniana*, quæ habetur *Tomo III. Collectionis Scriptorum Rerum hiſtorico - monaſtico - eccleſiaſticarum. Ulmæ. fol.* ubi vide *pag.* 125. & 141.

vembris (*c*) primam vitalem auram haurire cæpit. Pater ei fuit *Raymundus* IMHOFF, quem anno 1615. in dias luminis auras natum, anno 1648. in Senatum adlectum & *ædilitia* dignitate ornatum, anno 1680. & ſenatu & vita exceſſiſſe (*d*) reperio: mater autem *Margaretha* REMBOLDIA, itidem patriciæ ſtirpis fæmina (*e*). Aquis luſtralibus tinctus, *Onuphrii* nomen accepit & a teneris unguiculis præclara educatione (quod conſequens vita luculentiſſime comprobavit) uſus eſt. Quamprimum per ætatem licuit, in patrium Gymnaſium miſſus, eam humanioribus litteris impendit diligentiam, ut & magiſtris ſuis permagnæ voluptati, & commilitonibus ſuis ſummæ admirationi ob virtutis juxta ac doctrinæ præſtantiam eſſet. Elaborato ſtudiorum humanitatis curriculo, mundanarum rerum tædio captus, regulam Canonicorum *S. Auguſtini*, in patrio itidem ad *S. Crucem* monaſterio anno MDCLXXV. & amplexus, & expleto ſacri tyrocinii anno, die vero 27. Septembris, nuncupatis ſolennibus votis eſt profeſſus: unde ei nomen *Auguſtini* hæſit. His geſtis apud Pa-

 tres

(*c*) KHAMMIUS diem natalem *Noſtro* adſignat *XIX. Novembris*: rectene, an per mendum typographicum, ignoro. *Franc.* PETRI ex Epiſtola encyclica, mortis *Noſtri* nuncia (*Rotulam* appellant) ponit *diem XV. Novembris.*

(*d*) V. *David* LANGENMANTEL *Hiſtorie des Regiments in der H. R. R. Stadt Augſpurg.*

(*e*) De utraque Gente patricia *Imhoffiana* & *Remboldiana* agit Perilluſtr. *Paulus* a STETTEN *junior* in *Hiſtorie der adelichen Geſchlechter des H. R. R. Stadt Augſpurg.* 4to. quem, ſi lubet, conſule. Ceterum gens *Remboldia* non ita multis abhinc annis in *Franciſco Joſepho Ignatio*, Reipublicæ *Auguſtanæ Duumviro*, anno 1774. die 17. Julii, ætatis itidem 74. vitæ erepto, defecit.

tres *Societatis Jeſu* ſcientiæ philoſophicæ præceptis per biennii ſpatium imbutus , antequam philoſophiæ curſum penitus abſolviſſet , *Romam* in Collegium *S. Apollinaris* a Superioribus anno MDCLXXVIII. menſe Septembri miſſus , ita ad Theologiæ & Juris canonici ſtudium incubuit ;, ut , elapſo quadriennio , finem eidem maxima cum laude fecerit. Inde ad patrios reverſus lares , accepto *Auguſtæ* Presbyteratus Ordine (nempe Diaconatu initiatus remearat) anno MDCLXXXII. in feſto *S. Joannis* Apoſtoli & Evangeliſtæ , die 27. Decembris , primum immortali Deo ſacrificium litavit.

Mox varia ſui Collegii munia obire juſſus , juventam rudiorem chriſtianæ doctrinæ elementis probe inſtituit ; parochiæ curandæ admotus laboribus apoſtolicis plurimum inſudavit ; domeſticis Religioſis Profeſſor datus ſcholaſticæ Theologiæ præcepta tradidit ; ſacræ ſuppellectili præfectus Eccleſiæ theſaurum optime adminiſtravit. Hiſce muneribus egregie ſummaque cum laude perfunctus , anno MDCXCIV. die 17. Septembris *Novitiorum Magiſter* conſtitutus , ſimulque Canonicorum capitularium votis canonicis Collegii ſui *Decanus* eſt electus : in quo duplici officio poſitus , *per quatuordecim ferme annos ſatis oſtendit,non ipſi dignitatem , ſed ipſum dignitati deſerviiſſe.* Denique , cum *Felix* BROELL , *Auguſtanus* , ob corporis viriumque debilitatem Præpoſiti dignitate decedere conſtituiſſet , *Auguſtinus* noſter anno MDCCVIII. die 26. Junii , in feſto *SS. Joannis & Pauli* Martyrum *concordi Capitularium Con - Canonicorum ſuorum voce* , applaudente ſimul omni reliquo Clero , nec non toto Senatu Populoque *Auguſtano* , etiam partis adver-

adverſæ, electus, ſucceſſit, eo honore, *tanquam laborum exantlatorum fructu ac proemio digniſſimus* exiſtimatus: non ſolum, ut vetuſtus mos fert, ab *Ordinario* ſuo novæ dignitati confirmátus, ſed inſuper, *ob congenitum quaſi Canonicæ Religionis zelum ſemper & ubique abundantiſſime demonſtratum*, ſui *Ordinis* per dioeceſin Auguſtanam *Viſitator* nominatus.

Eſſet hic locus, *Noſtrum* a virtutibus, quæ Viris in dignitatum culmine poſitis & conveniunt maxime, & ſuſpici in eis maxime atque obſervari ſolent, longo ſermone commendandi: eſſet profecto, præclara *Noſtri*, qua Præpoſiti, facinora, & quæcunque is ſive honoris divini amplificandi, ſive utilitatum Ordinis, & Collegii ſui provehendarum ergo glorioſe præſtitit, promeritis laudibus extollendi longe ampliſſima occaſio; ſin minus vererer, nę dicendo prolixior ſim, longiusque a præſentis Operis ſcopo deflectam. Quare ſermonem intra cancellos litterarios cogere, Lectoremque, iſta priora accuratius cognoſcendi avidum, ad *Franciſci* PETRI *Germaniam Canonico - Auguſtinianam*, *pag.* 126. 129. 130. 131. & *Corb.* KHAMMII *Hierarchiam Auguſtanam*, *P. II. Colleg. p.* 385. & *P. III. Regul. p.* 398. *& ſeqq.* remittere placet.

Litterarias autem laudes *Noſtri* ſilentio præterire mihi nequaquam licitum arbitrans, eas ex mox citatis binis Auctoribus hic ſubjicio. Audiamus primo loco *Franciſcum* PETRI in hæc verba loquentem: *Plures elucubravit libros, quos tum perſpicaciſſimo ingenio ſuo confecit, tum ex idiomate peregrino in germanicum tranſtulit. Concionator itidem ad populum paſſim magni habitus, utpote ſingulari præditus facundia, quandoque in diverſis Ec-*

cleſiis

cleſiis ad inſtantiam multorum expetitus, ad ſtuporem auſcultantium doctiſſime peroravit. Et paulo poſt: *Tanta utriusque Palladis, & Auguſtanæ & Romanæ, dedit ſpecimina & exhibuit magiſteria, ut, acutiſſimus in philoſophicis & theologicis, toties victor, quoties impugnator: profundiſſimus Theologiæ, quam Noſtros docuit, Magiſter & Doctor: zeloſiſſimus ſimul & facundiſſimus in ſacris pulpitis Declamator: ac italicorum Oratorum, vix non ad invidiam usque, imitator fuerit. Nec theatris defuit, nec ipſi theatra, quæ, quando inſtruenda erant, ita inſtruxit, ut vel ipſi hac in arte magiſtri ab ipſo didiciſſe lubentes faſſi ſint.*

Succedat modo *P.* KHAMMII teſtimonium: *Vir excmuſſim optimus ... pietate, doctrina, civilitate, auctoritate & morum gravitate clariſſimus: fæcundus ingenio, facundus eloquio, celeber calamo; in propagatione devotionis erga miraculoſum Sacramentum*, in Eccleſia *S. Crucis Auguſtæ* aſſervatum, *ſumme induſtrius: cultui Mariano addictiſſimus Calendarium Marianum Franciſci* MARCHESE (*f*) *ex idiomate italico in germanum tranſtulit; hoc ipſum nobile Opus, nec non Tractatum ſub titulo*: Jubilæum Vindelico-Euchariſticum, *& quædam alia proprio Marte inventa & ſcripta typo edidit. Panegyricos feſtiviſſimos in variis Eccleſiis e ſacro ſuggeſtu facundiſſime dixit. Subtiliſſima & plurima poëmata excogitavit, eaque mira in diverſis occaſionibus picturarum atque inſcriptionum varietate repræſentavit: pretioſos arcus triumphales, nec non venuſtiſſima pegmata erexit, excultiſſimis emblematibus ad S. Hoſtiam miraculoſam a quingentis annis ſub ſpecie carnis*

(*f*) De hoc aliisque Operibus a *Noſtro* vulgatis inferius ſermo habebitur.

ſuis ſanguinea nunquam alteratam devote & ingenioſe alluſit. Lectiſſima comica ſpectacula in ſcenam produxit: Proceſſiones munificas & magnificentiſſimas adornavit: cælaturas pulcherrimas æri inciſas oculis intuentium objecit. Ea quoque omnia a No. 434. *uſque ad Num.* 445. *adducta a RRmo. D. Felice Præpoſito S. Crucis fuerunt quidem opere completa, attamen ab Auguſtino, illa adhuc ætate Decano, ingenioſiſſimo & meritiſſimo fuerunt vel inventa vel directa.* Hactenus KHAMMIUS, qui citatis poſtremis verbis innuit octiduanam Solennitatem (a ſe ſub dictis Numeris 434 — 445. in *Hierarch. Auguſtanæ, P. II. Colleg.* fuſe deſcriptam) Jubilæi V. *SS. Hoſtiæ miraculoſæ* in Eccleſia *S. Crucis*, *Auguſtæ* ſub *Felice* BROELL, Anteceſſore *Noſtri*, anno 1699. ingenti hominum confluxu & ſingulari pompa celebratam, quam *Noſter* modis omnibus & quovis eruditorum laborum genere exornare, & reddere quam illuſtriſſimam conatus eſt.

Quemadmodum autem, uti ex allatis duobus teſtimoniis liquidiſſime conficitur, eximia doctrina claruit *Noſter*; id quod inſuper Libri ab eo editi, a me paulo poſt recenſendi, certiſſime confirmant: ita etiam eundem curas ſuas in id peculiariter impendiſſe, oppido credibile ſit, ut & ſuo imperio ſubditi juniores Canonici utiliſſimarum ſcientiarum præceptis inſtituerentur. Hujus rei teſtimonio unum commemorare ſufficiat; quod *Noſter* anno 1716. a tribus ſuorum religioſorum filiorum, præſidentibus *Octaviano* PANZAU (*) & *Franciſco* FLEXEDER Profeſ-

(*) *Octaviani* PANZAU, paucis mentionem *Franciſcus* PETRI in ſua *Germania Canonico - Auguſtiniana* facit, ubi ait: *His accenſendi jure Octavianus* PANZAU, & *Ignatius*

Profeſſoribus Theologiæ ordinariis , & *San - Crucianis* Profeſſis , *Theſes ex univerſa Theologia* publica

tius KISTLER , *patria Auguſtani , quorum induſtria plures Aſcetici & Hiſtorici ex idiomate gallico vel italico in vernaculum translati ſunt. . .* De eo etiam commemorat *RRmus Franciſcus* Præpoſitus *Pollingani* in *Bavaria* Collegii, in *Elencho onomaſtico Scriptorum Ord. S. Auguſt. Canon. Regularium.*

Octavianus noſter , *Auguſtæ* nobili proſapia ortus, cum adoleviſſet , in *Auguſtano S. Crucis* coenobio inter *Canonicos regulares S. Auguſtini* adlectus eſt. In eo loco poſtea junioribus Theologiæ præcepta tradidit , ac ſuperius memoratas *Theſes* publicæ Diſputationi expoſuit. Non diu poſthæc *Decani* dignitate ornatus , ad ſtudia incumbere minime deſtitit , ſed plura Opera , ex italico ſermone in vernaculum converſa , germanicæ conſuetudini dedit. Hujus generis ſunt 1°. *Der von ſich ſelbſten redende Auguſtinus , das iſt : Lebens - Beſchreibung dieſes groſſen Vatters , Biſchofs , und Kirchenlehrers , aus deſſen ſelbſt eigenen Schrifften und Büchern herausgezogen , in einem franzöſiſchen groſſen Werck , wie auch in einem lateiniſchen , in einer richtig wohl aufeinander gehenden Form zuſammen gezogen ... ausgegeben von ... D. Ceſare* BENVENUTI *von Crema ... anjezo ... in das Teutſche überſezt ...* in 4°. *Augſpurg.* 1731. 2°. *Marianiſcher Gnaden - und Wunderſchaz.* in folio , *Augſpurg,* 1737. Sunt Conciones *Joannis* RHO & *Caroli* BOVII , Soc. Jeſu Patrum , ex italico verſæ. 3°. *Tractat von der Liebe Gottes , worinn dero Natur oder Beſchaffenheit , dero Reinig - und Vollkommenheit ... erklärt werden , anfänglich in franzöſiſcher Sprach beſchriben von A. R. P. Antonino* MASSOULIE ... *nachgehends in die welſche , anjezo aber in unſere teutſche Mutterſprache überſezt. Augſpurg.* in 8°. 1739.

Vixere inſuper circa eadem tempora in eodem *S. Crucis* Monaſterio ſequentes Scriptores aſcetici , quorum , ante me , laudatus *Franciſcus* PETRI *l. c.* ſed breviter admodum , meminit : & quorum nomina RRmus *Franciſcus,* Præpoſitus *Pollinganus* , ſuo *Elencho onomaſtico Scriptorum*

blica concertatione defendendi licentiam, ſubmi-
niſtra-

rum Ord. Can. Reg. S. Auguſtini inſerere non dubitavit: ſcilicet

I. *Ignatius* KISTLER, patria *Auguſtanus*, Vir *de bonis litteris meritiſſimus*, qui ſucceſſu temporis ſacræ ſuppellectilis, quæ in illo cænobio eſt, *Cuſtos*, itemque Collegii *Subdecanus* factus eſt. Vitam finiit anno 1758. die 15. Maii. Complura tum proprio Marte ſcripſit, tum ex gallico aut italico in latinum germanicumve idioma tranſlata vulgavit. Primo loco de iis dicam, quæ ſuo e cerebro produxit *Noſter*. Sunt illa: 1o. *Kurze und auserleſene Betrachtungen auf alle Täg des Jahrs. 2. Th.* in 8o. *Augspurg.* 1726. iterum *ibidem.* 1739. iterum *ibidem.* 1764. 2o. *Meditationes pro ſingulis diebus totius anni.* in 8o. *Auguſtæ.* 1727. Sumptibus *Biſſoni.* 3o. *Ausführlicher Bericht von der wunderbarlichen, ſchon über 533. Jahr in blutrother Geſtalt unverſehrten, allerheiligſten Hoſtia in dem Gotteshauſs der regulirten Chorherrn bey dem H. Creuz in Augspurg.* in 8o. *Augſpurg.* 1733. 4o. *Manuductio ad chriſtianam Perfectionem.* in 12o. *Auguſtæ* 1745. Hæ ſunt Lucubrationes *Noſtri*, quas ego deprehendi: & quibus alias aliorum a ſe traductas addidit. Ex *italico* itaque *latine* convertit: 5o. *Maximiliani* DEZAE *Fructus divinæ gratiæ, ſeu Conſiderationes & Diſſertationes de gravitate Peccati, & prærogativa divinæ Gratiæ.* in 12o. *Auguſtæ.* 1720. 6o. *Alexandri* DIOTALLEVI *Idea veri Pœnitentis, a pœnitente Propheta regio ad vivum deſcripta in Pſalmo L. & omnibus Chriſtianis vere pœnitentibus ad imitationem propoſita.* in 8o. *Fridbergæ.* 1735. 7o. *Cæſaris* BENVENUTI, *de Crema, Tractatus hiſtorico-chronologicus de Vita & Communitate Clericorum primitivæ Eccleſiæ, ac de ejusdem Continuatione per XII. Sæcula.* 4to. *Conſtantiæ.* 1736. 8o. *Ludovici* SABBATINI *ſelectæ Diſſertationes de prærogativa Status clericalis &c.* in folio. *Auguſtæ. Sumptibus Martini Veith.* 1741. In *germanicum* autem idioma eum ex *Italico* tranſtuliſſe inveni: 9o. *Maximiliani* DEZAE, ſuperius memorati, *Früchten der göttlichen Gnad.* in 12o. *Augspurg.* 1721. Ex *Gallico* vero: 10. *De* BELLEGARDE *heilſamſte chriſtliche Gedanken auf jeden Tag des Monats.* in 12o. *Coſtanz.* 1736.

II.

niſtratis largiter in eum finem ſumptibus, ſit impertitus (g).

Hac ratione dum litteras fovet *Noſter*; dum Dei gloriæ ſervit; dum utilitatibus Ordinis ſui promovendis invigilat; dum Templum ſui Collegii magnificentius reddere ſatagit; dum ſibi concreditam

II. *Alipius* MARTIN, natione *Bojus*, ſucceſſu temporis in eodem *Collegio* Philoſophiæ Profeſſor, & Parochiæ per multos annos Vicarius. Conſcripſit is. 1o. *Geiſtlicher Ritter-Sporn, durch welchen alle, jeden Alters und Stands, Perſonen von dem Weeg der Sünd und Laſter abgehalten, zu der Lieb Gottes und auf den Weeg der Tugend geleitet: hiemit zu einem chriſtritterlichen Lebens-Wandel angetriben und angeſporret werden.* in 8o. *II. Th. Augſpurg.* 1704. In officina libraria *Georgii Schlitteri.* 2o. *Chriſti Ruf:* Joannis c. 10. *Ich bin ein guter Hirt und erkenne meine Schaafe &c. &c. zuſammengetragen durch R. P. Alipium* MARTIN *&c.* 1721.

III. *Antonius* MUZENHART, qui ſuopte ingenio ſcripſit: 1o. *Göttliches Liebs-Band in underſchidlichen ſchönen Andachten... verfaſſet...* in 8o. *Augſpurg.* 1701. 2o. *Ehren-Schild beſtehend in achtägiger Andacht zu dem* 500. *Jahr bey dem H. Creuz in Augſpurg rothgeſtaltetem allerheiligſten Sacrament des Altars. in* 12o. *Augſpurg.* 1702. Apud *Joſeph Grueber* typographum. Hæc præter ex *latino* in *germanicum* ſermonem convertit. 3o. *Antonii* HERMETII *Spiegel der Vollkommenheit, das iſt: auſſerlesniſter, ſicheriſter und zugleich leichtiſter Weeg zur wahren chriſtlichen Vollkommenheit zu gelangen. in* 8o. *Augſpurg.* 1712. *Typis Joſephi Grueber.* 4o. *Antonii* HERMETII *Creuz über Creuz, das iſt: mit Creuz über Creuz beängſtigter Herzen beſonders Troſt-Wercklein. in* 8o. *Augſpurg. Typis Ejusdem.* Recuſum fuit *Pragæ. in* 8o. 1737. 5o. *Petri* PENNEQUIN *Soc. Jeſu Liebs-Zeiger, das iſt: vollkomniſte und auſſerlesniſte Anleitung zur göttlichen Lieb.* in 4o. *Augſpurg.* 1715. Impenſis *Georg. Schlütter* & *Martini Happach.*

(g) V. KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. III. regul.* p. 399.

tam Canoniam ad tale excellentiæ faſtigium evehere allaborat, qualem ipſa nec a prima quidem origine ſua ſeu fundatione habuit; ita ut Poetæ verbis uti liceat:

Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.

ſeneſtus ei ſubrepit, attamen minime ingrata aut pœnitenda; nam, & Profeſſione & Sacerdotio *Jubilæus*, id eſt profuſa Numinis beneficentia conſecutus, ut & religioſa Vota anno MDCCXXVI. ſecunda vice ederet, & incruentum Deo optimo maximo ſacrificium Primitiis (ut ajunt) alteris anno MDCCXXXII. offerret. Exin variis, quæ provectiorem ætatem ſequi ſolent, infirmitatibus affligtari ſe ſentiens, dignitatis, quam per 26. annos multis laboribus ſuſtinuerat, deponendæ conſilium capit, eaque anno MDCCXXXIV. ſponte abdicata ſoli Deo ſibique vixit, animo, conſilio, cogitatione totus in vita, quam exſpectabat, altera defixus. Sic triennio ferme exacto tandem anno MDCCXXXVII. die 11. Januarii hora noctis ſecunda vitam hanc mortalem, non ſine ingenti ſuorum luctu, ſine pientiſſimo clauſit, non tam ullo morbi genere extinctus, quam omnimoda virium deficientia vivendi impos effectus. Obiit autem anno ætatis LXXVIII. Profeſſionis religioſæ LX. Sacerdotii LIV. Regiminis XXVI. Reſignationis liberæ III.

Expoſitis ſtudioſe vitæ ac mortis *Auguſtini* noſtri circumſtantiis, jam ad enumerandas Lucubrationes, quibus ſuam is doctrinam teſtatam fecit, procedo, quarum ego quidem ſequentes deprehendi:

I. *Angeli Mariæ* MARCHESINI *von Vinzenz, Capuciner Ordens-Prediger, geiſtlicher Herold*, in

4to. *Augſpurg.* 1689. Apud *Laurentium Kröninger*, & *Gottlieb Göbel Hæredes.* Sunt breves & patheticæ Conciones poenitentiales, *quinque* partibus comprehenſæ, a *Noſtro* ex italico traductæ.

II. *Franciſci* MARCHESE *Marianiſches Tag-Buch.* in 4to. II. Tomi. *Augspurg.* 1695. Opus, ex italico verſum, dicavit *Noſter Hildegardi Catharinæ* Abbatiſſæ *Ord. S. Benedicti* in *Holzen.*

III. *Reliquiæ cogitationis, oder überbliebene, nunmehro aber in ein herrliches, den neu - erhebten HH. Reliquien... zu neuer und mehrerer Andacht und Ehren angeſtelltes, achttägiges Ehren - Feſt ausbrechende lezte, beſte Gedanken.* Eſt Concio a *Noſtro* habita in octiduana ſolennitate Translationis SS. Reliquiarum *SS. Wicterpi*, *Thoſſonis*, *Nidgarii*, *Adalberonis*, Epiſcopp. Auguſtann. & *S. Dignæ* Martyris, anno 1698. a *Wilibaldo* POPP Abbate *San - Udalricano*, *Auguſtæ* ſumma cum pompa celebrata. Habetur autem iſta *Concio* cum aliis, in *Libro* de dicta ſolennitate, 1699. *Auguſtæ*, in 4to. typis vulgato.

IV. *Jubilæum Vindelico - Euchariſticum.* in 4to. *Germanice.* 1699. *Monachii.* Hoc Opus *Noſtro* adſcribit *P. Corb.* KHAMM in *Hierarch. Auguſt. P. III. regul. p.* 397. Complectitur illud autem deſcriptionem ſolenniſſimæ feſtivitatis, qua *quinquies ſæcularis* memoria *SS. Hoſtiæ miraculoſæ* in Eccleſia *S. Crucis*, *Auguſtæ*, exſiſtentis anno 1699. agebatur: Acceſſerunt decem Conciones per illud octiduum ad populum habitæ.

V. Concio de eadem *SS. Hoſtia*, a *Noſtro* de ſacro ſuggeſtu in memorata ſolennitate perorata, habetur in mox laudato *Jubilæo Vindelico - Euchariſtico.*

VI.

VI. *Dilectus candido - rubicundus benedictus, laudabilis, glorioſus in ſæcula V. ſive SS. Hoſtia, ſanguinea carnis ſpecie & prodigioſe benefica virtute, miraculoſa Auguſtæ Vindelicorum in S. Crucis Eccleſia ... benedicta, laudabilis, & glorioſa per ſæcula V. hiſtorica iterum narratione memorabilium, circa & per eandem geſtorum, ex variis hucusque probatiſſimorum Auctorum libris, aliisque monumentis concinnata, benedictioni, laudi & gloriæ propoſita.* in 8o. *Auguſtæ.* Typis *M. Magdalenæ Utzſchneiderin.* 1699. Operis hujus, *pii, docti ac concinni*, ut de illo KHAMMIUS (*h*) judicat, conſcribendi anſam captavit *Noſter* ex ſolennitate prædicti Jubilæi V. ejusdem *SS. Hoſtia miraculoſæ*, conſecrans *Alexandro Sigismundo*, epiſcopo *Auguſtano*, *Comiti Palatino Rheni* &c. Libro I. *SS. Hoſtiæ* originem; libro II. ejusdem virtutem exponit. Iſtius Operis paucis quoque meminit *J. G. Wilh.* DUNCKEL in libro: *hiſtoriſch - critiſche Nachrichten*, *P. II. pag.* 481.

VII. *Franciſci* MARCHESE *tägliches Brod, oder das zur täglichen Verehrung vorgeſtellte H.H. Sacrament des Altars in auferbaulichen Andachts - Uebungen.* in 4to. II. Tomi. 1699. Vertit *Noſter* ex italico, ſacravitque *Mariæ Helenæ* Abbatiſſæ Ord. *S. Benedicti*, in *Khübach.*

Hæc ſunt Opera *Noſtri*, quæ tum a *Franciſco* PETRI, & *Corb.* KHAMMIO *ll. cc.* allegantur, tum vero a me noviter reperta ſunt. Ceterum nomen *Auguſtini* noſtri laudatur quoque in *RRmi Franciſci*, *Pollingani* Præpoſiti, *Elencho onomaſtico Scriptorum Ord. Cann. Regg. S. Auguſtini.*

(*h*) V. *Eundem*, *l. c. pag.* 397.

MARSCHALLUS (*Matthæus*) de Bib. & Pappenh.

De *Matthæo* MARSCALLO *de Biberbach & Pappenheim* ejuſque natalibus dicturus optimum factu exiſtimo, ipſum de ſe loquentem (*a*) inducere, utpote cujus apud nos auctoritas plurimum valere debet, præcipue cum Scriptores poſteriorum temporum, in explicanda *Noſtri* origine, haud parum inter ſe diſcrepent. Itaque de Majoribus ſuis hæc narrat: *Avus meus paternus fuit Joannes* MARESCALCUS *de Biberbach.... Ipſe ... aliquamdiu habitavit in Ebenſtall prope Jettingen, ratione D. Conradi affinis ſui.... Ex uxore ſua procreavit filios tres, ſcilicet Triſtanum, Ulricum, & Georgium, qui juvenis obiit, & unam filiam, quæ nupſit nobili Viro de Gumpenberg. Ipſe Joannes cum eſſet in expeditione longinqua ultra mare, amiſit uxorem ſuam, aviam meam, in puerperio; cum peperiſſet Ulricum patrem meum anno Domini* 1433. *Ipſe vero deinde Joannes, avus meus obiit in florida ætate adhuc anno ſcilicet Domini* 1436. *relinquens patruum meum Triſtanum, & Ulricum patrem meum* (*b*). Hæc *Matthæus* de progenitoribus ſuis: de genitoribus vero ſuis ſequentia affert: *Ulricus frater prædicti Triſtami, & filius D. Joannis, vir providus ac prudens atque juſtitiæ amator; ſed ad iram paulo pronior, amatorque mulierum maximus. Vir erat parvæ ſtaturæ, ingenioſus & perſpicax. Hic duxit uxorem An-*

(*a*) In Opere ſuo: *De Origine & familia DD. de Calatin, cap.* 100. & 102.

(*b*) Ex his corriges aut ſupplebis, quæ *Wolfg.* LAZIUS *de Migrat. Gent. p.* 574. *Jo. Alexand.* DOEDERLINUS in *Matthæo a Pappenheim enucleato &c. p.* 144. *& ſeqq. Hieronymus* HENNINGES in *Oper. genealog. P. I. p.* 468. diverſum narrant.

Annam filiam Alberti de Schwabſperg anno ætatis ſuæ decimo nono; Dos erat virginis mille floreni, quod eo tempore rarum fuit inter Nobiles. Sunt autem illi Nobiles de Schwabſperg, dapiferi Eccleſiæ Elwangenſis. Contractum fuit hoc matrimonium anno Domini 1452. *quo etiam nuptiæ celebratæ ſunt: ſequenti anno ſcilicet* 1453. *duxit eam cum magna pompa ad Biberbach. Procrearunt undecim Liberos; quinque filios, Onofrium, Ulricum, Urbanum, qui deceſſerunt in infantia; & me Matthæum, quem genuit anno Domini* 1458. *in vigilia Viſitationis Mariæ infra horas* 10. *&* 11. (*c*). *Quintus filius cito mortuus eſt. Sex habuit filias, Catharinam; Benignam; Annam, quæ pervenit ad ſeptem annos; Magdalenam, quæ parva obiit; & Urſulam, quæ tradita fuit nuptui Antonio de Stetten, de Haldermanſtetten ex Francia orientali; Margaretam, quæ eſt Monialis in inferiore Schoennenfeld. Ego Matthæus & duæ hæ ſorores Dei gratia annuente ſupervíximus, reliqui Liberi deceſſerunt. Pater meus Ulricus erat annorum decem & novem, quando contraxit matrimonium: obiit autem anno Domini* 1483. *in vigilia vigiliæ Epiphaniæ, Auguſtæ, ſepultus ibidem apud Minoritas. Anna vero de Schwabſperg, genitrix mea, obiit anno præcedente feria quarta in feſto Pentecoſtes, quorum animæ requieſcant in pace. Amen* (*d*). Hæc de Majoribus & Parentibus *Noſtri* ſufficiant.

(*c*) Mirari ſatis poſt hæc non poſſum, quod Editor *Chronicæ Dapiferorum a* WALDBURG, quæ ipſa *Noſtrum* agnoſcit Auctorem, & de qua inferius agetur, diſertis verbis affirmet: verum annum nativitatis *Noſtri* ignorari.

(*d*) Ex his iterum aut emendabis aut ſupplebis, quæ *Wolf.* LAZIUS, *Jo. Alex.* DOEDERLINUS, *Hieronymus* HENNINGES, *ll. cc.* & alii *Genealogici* in medium afferunt.

Itaque *Matthæus*, præclaro & ad quasvis ſcientias addiſcendas aptiſſimo ingenio a natura præditus, poſtquam annis creverat, *Pariſios*, *Galliarum* metropolim, profectus eſt; ubi non ſolum longiori tempore ingenii cultum cepit (*e*), ſed etiam *Doctoris in utroque jure* laurea anno MCCCCLXXXII. meruit decorari (*f*). Hoc honore auctus, poſt repetitos patrios lares, cum ſe ſtatui clericali mancipaſſet, anno MCCCCXCII. Præpoſiti ad *S. Gertrudem*, *Auguſtæ*, dignitatem accepit. Anno vero MCCCCXCIV. *Canonicus* cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ*: & biennio poſt, nempe MCCCCXCVI. *Canonicus* Eccleſiæ *Elvacenſis*, itemque ſummus *Cuſtos* ejusdem factus eſt (*g*).

Vixit illis temporibus *Triſtamus*, de quo ſuperius mentio incidit, ex eadem familia, frater *Ulrici*, patris *Matthæi* noſtri, homo inquietus, difficilis. Hinc in illa domo gravia diſſidia orta: nec minora damna tum patri *Ulrico*, tum filio *Matthæo* enata (*h*). Juvat iterum ipſum *Matthæum* in Opere ſuo: de *Origine & familia DD. de Calatin*, *cap.* 101. & in *Additione brevi* audire: *Triſtamus ... homo nihili & prodigus ... contentioſus, rixarum amator multas lites ſubinde movit contra... Ulricum fratrem ſuum, patrem meum... Duravit autem illa controverſia fere per triginta annos.... Item anno Domi-*

(*e*) *Wolfg.* LAZIUS *de Migrat. Gentium*, *l. c.* *Guilielmus* CAVE in *Appendice*, *p.* 126. ait: *Litterarum ſtudio plurimos annos in Academiis exteris impendit.*

(*f*) DOEDERLINUS, *l. c.* & alii paſſim.

(*g*) *Corb.* KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 610. & *Auctar. P. I. cath. pag.* 150. 153. & *P. II. colleg. pag* 86. DOEDERLINUS *l. c.*

(*h*) Vide de hoc DOEDERLINUM, *l. c. pag.* 134. 143. & *ſeqq.*

Domini 1480. *ante feſtum Natalis Domini ipſe Triſtamus . . . occulte & furtive cepit dimidiam partem caſtri Biberbach, quam ſibi antea auctoritate Imperatoris & ratione Banni imperialis Ulricus eripuerat. Verum Ulricus rurſus caſtrum obſidione cinxit auxilio Joannis de Werdenberg epiſcopi Auguſtani, cujus Caſtellanus erat in caſtro Roetenberg, & D. Magni Mareſcalci, Agnati ſui &c. Quapropter ipſe Triſtam timore perculſus reddidit caſtrum. . . . Poſtquam vero pater meus Ulricus . . . mortuus erat; Triſtamus contra me Matthæum multa hoſtiliter egit, cupiens ſe ulciſci. . . .*

Cum vero inter *Georgium*, *Joannem ſeniorem* & *Joannem juniorem novæ lites exortæ eſſent*, *Noſter non parva cauſſa fuit*, ut caſtrum *Biberbach anno Domini* 1514. omnino venderetur. Sed de his ſatis!

Interim *Noſter* litterarum ſtudia, quibus animum viresque ſemel conſecraverat, ſibi minime negligenda duxit, tantamque eruditionis laudem ſedulitate ſua eſt conſecutus, ut a *Chuonrado* PEUTINGERO (*) ſingulari epiſtola anno 1505. ſalutari meruerit, qua is *Matthæi* noſtri ſententiam, de conditoribus civitatis *Bergomenſis* & *Brenno* quodam, explorandam ſibi eſſe cenſuit. Pari ratione abs *Joanne* ECKIO in *Oratione de Nobilitate litteris exornanda*, 1515. *Auguſtæ* excuſa, omnino dignus judicatus eſt, qui cum aliis plurimis Nobilibus, doctrinæ laude claris, prædicaretur. Neque vero per ſe ſolum optima ſtudia, præſertim *genealogicum* & *hiſtoricum*, coluit *Matthæus*; ſed etiam per alios promovere eadem omni ſtuduit contentione. Eum in finem ad *Societatem litterariam*, quæ

 ſub

(*) V. PEUTINGERI *Sermones convivales.*

ſub initia Sæculi XVI. *Auguſtæ* , coeuntibus in unum diverſis Viris eruditis, enata eſt , & de qua ſuperius in *Bernardo* ADELMANN *de Adelmansfelden* pluribus memini, nomen ſuum cito dedit, nec operæ nec opibus parcens , ut tum veterum tum recentium egregia ſcripta, typo publicata, lucem viderent. Simili ratione cum *Conrado* ADELMANNO *de Adelmansfelden*, de quo ſupra ſuo loco vide, celeberrimum Bojorum hiſtoriographum *Joannem* AVENTINUM , *amicum* ſuum (ut ait) *chariſſimum* ad hiſtoricas , quas is plurima diligentia congeſſerat, lucubrationes *pro patriæ communis decore* edendas litteris officioſiſſimis ſimul ac ſignificantiſſimis eſt cohortatus. Inſuper & Bibliothecæ majoris Eccleſiæ *Auguſtanæ* laudabilem admodum ſollicitudinem impendit; quæ, ſi curæ *Noſtri* non commiſſa fuit, attamen illius providentia non ſpernenda incrementa ſumpſiſſe videtur : prout ex inferius dicendis colligere pronum eſt. Præterea *inſigne amoris cultusque in litteratos* (teſte *Corbiniano* KHAMMIO (*i*) *argumentum* , *nimirum ædes prope ſacellum S. Aegidii ſuis ſumptibus extructas* , *nec non ordinario cathedralis Eccleſiæ Concionatori ad inhabitandum deſtinatas* , *reliquit.*

Devenimus ad finem vitæ *Matthæi* noſtri , de quo multum Scriptores inter ſe variant. *Corbinianus* KHAMMIUS (*k*) & *Jo. Dav.* KOEHLERUS (*l*)

(*i*) In *Hierarchia Auguſtana* , *P. I. cathedr. pag.* 610. Perilluſtr. *Paulus a* STETTEN *ſenior Hiſtorie der H. R. Reichsſtadt Augſpurg*, *Tom. I. p.* 441. *Achilles Pirminius* GASSARUS in *Annal. Augſtburg.* inter *Scriptores Rer. Germ.* MENCKENII , *Tom. I. p.* 1761. *Car.* STENGELIUS *Comment. Rer. Auguſt. Tom. II. p.* 264.

(*k*) In *Hierarchia Auguſtana* , *l. c.*

(*l*) eum anno MCCCCXCIX. ſupremis fatis conceſſiſſe volunt. *Chriſt. Gottl.* JOECHERUS (*m*) vel anno memorato, vel anno MDXI. (Suſpicor, hoc errorem typi eſſe, & JOECHERUM ſcribere voluiſſe MDXLI.) obiviſſe dicit. *Martinus* ZEILLERUS *Hiſtor. cel. P.II. p.* 110. annum mortis aſſignat 1511. item *Jo. Alb.* FABRICIUS in *Bibliotheca med. & inf. Latinit. Tom. V. p.* 51. At *Noſtrum* neque annum 1499. neque annum 1511. fatalem habuiſſe, ſed multo longius vitam produxiſſe, ſequentia liquidiſſimo comprobant. I. Anno 1526. die 10. Decembris dedit *Noſter* ſupra-memoratas litteras ad *Joannem* AVENTINUM. II. Anno 1527. emit Noſter Codicem pergamenum, *Philippi Cancellarii Pariſienſis Homilias* complectentem (*n*), ad cujus calcem hæc adſcripſit: *Ego Marſcalcus Doctor & Canonicus coemi hunc librum anno* 1527. *Eo anno Truisheim cum attinentiis juſto jure devenit ad me, quod annis XVII. carui & privatus fui; in nomine Domini.* III. Anno 1529. *vindicavit & ordinavit ad Librariam majoris Eccleſiæ Auguſtenſis* SS. Biblia; uti rurſus in fronte eorundem ſua manu teſtatur. Non video poſthæc, quamobrem *Joanni* MARSCALCO, qui, poſt *Noſtri* mortem, ejus

(*l*) In *Hiſtoria Wolfſteiniana. p.* 82. ubi *Noſtrum* ſequenti encomio mactat: *Nec ſilendus mihi eſt Matthæus* MARESCALCUS *de Bappenheim & Biberbach*, *quem* HUCELINUS, RITTERSHUSIUS, *aliique in ſtemmatographia hujus familiæ perperam prætereunt.... Vir eruditiſſimus & luculentus Scriptor Chronici Auſtralis, & Auguſtenſis, ac Genealogiæ ſuæ familiæ, qui obiit* 1499.

(*m*) In Libro: *Allgemeines Gelehrten-Lexicon*, v. *Pappenheim.*

(*n*) Vidi hunc meis oculis in Bibliotheca *Capituli cathedralis Auguſtani.*

Opus genealogicum de Origine & familia DD. de Calatin &c. (*o*) curis ſuccedaneis vulgavit, non omnem fidem adhibeam, affirmanti: *Noſtrum* anno MDXLI. naturæ debitum moriendo exſolviſſe, his verbis: *Anno Domini* 1541. *iſt der edel ehrwürdig Herr Matthaus* MARSCHALCK *Doctor und Thumbherr zu Augſpurg, der ein Anfänger diß Buchs geweſen, geſtorben zu Treushaim, da er dann auch begraben ligt, am Freytag vor St. Gallen-Tag &c.* His majus pondus addit teſtimonium *Martini* CRUSII (*p*) Scriptoris ferme ſynchroni, dicentis ad annum 1541. *Obiit & nobilis Vir Matthæus* MARESCALCUS *Pappenheimius, Doctor, & Canonicus Auguſtæ, Treuſchaimii, ubi & ſepultus eſt.* Hæc de anno, quo *Noſter* e vivis exceſſit. Dolendum profecto, lapidem ſepulchralem aut nullum *Noſtro* poſitum fuiſſe, aut vetuſtatis ac temporum injuria conſumptum haud amplius extare; prout me monuit amicorum meorum quidam, *Teushemii* animarum curandarum cauſſa per aliquot annos commoratus. Habes, Lector! de anno mortis *Matthæi*, qui, cum familiæ nobiliſſimæ MARESCHALLORUM *de Biberbach*, lineæ *Wilhelminæ*, poſtremus fuerit, eidem æternam moriens famam eruditione ſua dare neutiquam omiſit (*q*).

Jam locus & ſuſcepti operis ratio poſtulat, ut de ingenii monumentis a *Noſtro* extantibus diſſeram: quorum etſi nullum ipſe vivus (qua de cauſſa,

(*o*) In ipſo *Opere*, in *Additionib. p.* 145. Confer *Lexicon univerſale Lipſienſe*, vernacula lingua editum, *Tom. III. p.* 368.

(*p*) In *Annalib. Suevic. Dodec. III. p.* 646.

(*q*) V. *Döderlinum, l. c. p.* 145. Confer *Wolf.* LAZIUM, . c.

ſa , plane neſcio) typis vulgarit, tamen illa inter Poſteros varios variis temporibus editores ſunt ſortita ; Tam gravia nimirum tantique momenti viſa ſunt. Primo igitur loco occurrit :

I. *Epiſtola ad Joannem* AVENTINUM , de qua ſuperius ſermo incidit, data *ex Auguſta Vindelicorum. Anno MDXXVI. decimo die Decembris.* Extat ante ipſos AVENTINI *Annales*, juncta aliis aliorum Eruditorum ejus temporis.

II. *De Origine & Familia illuſtrium DD. de Calatin, qui hodie ſunt DD. a Pappenhaim S. R. J. Mareſcalci hæreditarii , Liber : Auctore nobili & reverendo Viro D. Matthæo a Pappenhaim & Biberbach &c. Mareſcalco , J. V. Doctore , & Canonico Auguſtano , nunc primum omnibus diligenter recognitis, correctis & auctis, in lucem editus.* in folio. *Auguſtæ Rhætiæ Philippus Ulhardus, in platea templaria D. Huldrichi, excudebat.* Opus hoc, ornatum imaginibus gentilitiorum Inſignium , poſt mortem *Noſtri* , non 1553. ſed absque omni dubio anno 1554. exiit in vulgus ; cum in fine nonnulla adjecta legantur , quæ primum hoc anno geſta ſunt. Succedaneis autem curis & impenſis illud dignatus eſt *Joannes a Pappenhaim , in Biberbach , Elgau & Wildenſtain , S. R. J. Mareſcallus* , dicavitque anno 1553. *auguſtiſſimis Cæſaribus Carolo & Ferdinando , Imperatori illi , Regique huic , Romanis , Fratribus germanis &c.* Ex hac dedicatione nonnulla hoc loco excerpere conveniens duco , quibus fata ipſius Operis explanantur. In hæc autem verba loquitur *Joannes* MARESCALLUS : „ Primus inter Majores familiæ & generis mei fuit *Rudolphus* a *Pappenheim* , MARESCALCUS &c. *Caſtellanus* (quem Præfectum cæſareum hodie voca-

„ mus

„ mus) *Werdeæ Danubianæ*, Vir diligens, qui
„ incœpit genealogiam, Majores & Deſcendentes
„ in familia noſtra colligere. Obiit autem anno Do-
„ mini 1487. Quem deinde ſecutus *Matthæus*
„ MARSCHALCK, Canonicus Auguſtanus, J. V.
„ Doctor; & hunc Librum ex majori parte abſol-
„ vit anno 1495. Qui Liber deinde ad manus me-
„ as pervenit. Verum cum videbam, hunc ipſum
„ Librum in quibusdam locis mancum eſſe; par-
„ tim quod ipſa folia, negligenter conſuta, male
„ cohærebant; partim quod pleraque dilacerata,
„ temporis injuria corrupta, multa male ſcripta
„ erant, & magna pars recte legi non poterat;
„ tum ego ipſa fragmenta hiſtoriarum ſtudioſo
„ emendanda tradidi: qui meis ſumptibus in hoc
„ Opere elaborando aliquot annos conſumpſit, do-
„ nec in hanc formam omnia redegerit, com-
„ pleverit, auxerit, & ſingula correxerit.
„ Nunc quoniam omnia viſa ſunt Viris do-
„ ctis ſatis bene collecta, & publica lectione dig-
„ na, nolui etiam in hac parte ſumptibus parcere,
„ & prelo commendavi. “

Neque vero ſolam Operis hujus editionem *latinam*, ſed etiam *germanicam* prædicto anno 1554. excudi curavit paulo ante laudatus *Joannes* MARESCALCUS, hoc titulo:

Von dem uralten Stammen und herkommen der Herren von Calatin yetzund zu unnſer Zeit die Edlen zu Pappenhaim, Biberbach, Wildenſtain und Elgaw des hailigen Römiſchen Reichs Erbmarſchälck &c. auß den urältiſten Hiſtorien gezogen, und in Latein beſchriben durch Herrn Matthæum zu Pappenhaim Marſchalck &c. Doctor und Thumbherr zu Augſpurg. Anno 1495. *Aber*

yezt

yezt an vilen örtern durch auſs gebeſſert, corrigiert, gemert, und inn das Teutſch transferiert, erſtlich im Truck auſsgangen. In fine legitur: *Getruckt in der kaiſerlichen Statt Augspurg, durch Philipp Ulhart.*

Huic *germanicæ* editioni idem *Joannes* MARESCALCUS latinam Dedicationem præmiſit, datam ex arce *Elgaw*, Calendis Martii, Anno Domini MDLIIII. ad *Wolſgangum Theodericum a Pappenhaim* &c. Cathedralis Eccleſiæ *Bambergenſis* Decanum, ejusdem & *Auguſtanæ* Eccleſiæ Canonicum &c. Conſanguineum ſuum; in qua ſequentia habet: „ Cum poſt obitum Doctoris *Matthæi* Canonici Auguſtani &c. Conſanguinei noſtri ... ſcripta quædam de prima Origine familiæ noſtræ ex ipſius „ Doctoris *Matthæi* Bibliotheca ad manus meas „ perveniſſent, cogitavi ſtatim, quomodo ego iſtos „ labores ad perpetuam MARESCALCORUM de *Pappenhaim* &c. memoriam publicarem.... Quare „ nullis ſumptibus parcens, primum curavi, ut „ latine excuderetur, deinde etiam ex latino in „ germanicam linguam verteretur; quo & eos, „ qui latinum ignorant, mihi conciliarem. Latinum ſacris cæſareis Majeſtatibus dedicavi. Germanicum, quia inter plurimos Cognatos meos „ tu unus præcipue occurrebas, tuum eſſe volui. "...

Habes, Lector! de primæva Operis editione tum *latina*, tum *germanica* (*r*) quæ cum per temporum decurſum tam rara atque infrequens facta eſſet, ut ne multo quidem labore multaque impenſa

(*r*) Extant ambæ editiones, in unum compactæ Volumen, in Bibliotheca Collegii quondam *Societatis Jeſu*, *Auguſtæ*.

ſa obtineri poſſet, novam editionem adornare inſtituit *Joannes Alexander* DOEDERLEIN, Rector Lycei *Weiſſenburgenſis* in *Nordgavia*, Academiæ Cæſareæ *Naturæ Curioſorum* ac Societatis *Boruſſicæ* Scientiarum Collega, & hanc quidem ex toto recoctam, reſecando nimirum, quæ,utpote ex ultima & remotiſſima antiquitate curioſius quam verius repetita,reſecanda videbantur: emendando, quæ emendanda erant: addendo, quæ addenda occurrebant. Vulgavit autem hanc editionem ſequenti titulo: *Matthæus a Pappenhaim enucleatus, emendatus, illuſtratus & continuatus, das iſt: Hiſtoriſche Nachrichten von dem uralten hochpreißlichen Hauß der kayſerlichen und des Reichs Marſchallen von Calatin, und der davon abſtammenden ehe- und dermaligen Reichs- Erb- Marſchallen, Herrn und Grafen zu Pappenheim &c. &c.* 4o. *Schwabach.* 1739. de quo Libro videri poterunt *Acta Erudit. Tom.* 24. *Leipzig.* 1739.

Ceterum, etſi *Matthæus* noſter in *Capite I.* hujus Operis ſui teſtetur: ſe *multas & diverſas Chronicas & Hiſtorias, Privilegia, Monumenta, Diplomata ſeu Litteras legiſſe, ſummamque in inveſtigando diligentiam* adhibuiſſe, tamen Opus ejus, ut in vulgus exiit, cenſorem, fortaſſis nimis acrem, in *Wigulejo* HUNDIO, &, qui poſtea huic adhæſerunt, aliis invenit; de quo videri poterit ſupralaudatus *Jo. Alex.* DOEDERLINUS in *Matthæo a Pappenheim enucleato &c. Tom. I. p.* 12. *& ſeqq.* in *Notis.*

Memorant hoc Opus *Noſtri Jo. Alb.* FABRICIUS in *Bibliotheca med. & infimæ Latinit. Tom. V. p.* 51. & *Burc. Gotth. Struvius* in *Biblioth. hiſtorica, Tom. II. p.* 1285. quos, ſi lubet, conſules.

III.

III. *Excerpta Chronici Auſtralis antiqui ab anno* 852. *usque ad annum* 1327. Item: *Auſtralis Hiſtoriæ Pars plenior ab anno* 1276. *ad annum* 1303. Primus hæc orbi litterato exhibuit *Marquardus* FREHERUS inter *Scriptores Rer. german. Tom. I. p.* 311. 327. veteris editionis. Extant etiam in nova editione eorundem *Scriptorum* a *Burc. Gotth.* STRUVIO in folio, *Argentorati* 1717. vulgata, *Tom. I. p.* 431. *& ſeqq.* ubi STRUVIUS ſequentia monet: *Pappenhemius Excerpta ex Chronico auſtrali dederat, quæ primum* FREHERUS *edidit. Incidit tamen Perilluſtris* LEIBNITIUS *in Codicem membranaceum Chronici auſtralis, qui in Collegio Societatis Jeſu Neoſtadienſi in Auſtria adſervatur... atque dictum Codicem, per* PFEFFELIUM *Argentoratenſem cum editione Freheriana accurate fecit conferri, omnem curam operamque adhibente ipſo Viro Perilluſtri, ita ut hoc beneficio non Excerpta ſolum, ſed etiam integrum, ut mihi quidem videtur, exhibeamus Chronicon auſtrale &c.* Confer, ſi lubet, VOSSIUM *de Hiſtor. latin. L. III. de Anonymis.* LAMBECIUM in *Comment. L. II. c.* 6. *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth. med. & inf. Latinit. Tom. V. p.* 51. & *Guilielmum* CAVE in *Appendice, p.* 126. *Chriſtoph.* HENDREICH *Pandect. Brandenburg. Tom. I. p.* 405. *Lenglet du* FRESNOY *Methode pour etudier l' Hiſtoire, Tom. III. p.* 217.

IV. *Ex Chronica Auguſtenſi antiqua Excerptum per Matthæum* MARESCHALCUM *de Pappenheim J. V. D. & Canonicum ibidem ab anno Domini* 873. *usque ad annum* 1104. *Item: Pars Chronicæ Monaſterii S. Udalrici & Afræ apud Auguſtam Vindelicam ab anno Domini* 1152. *usque ad annum* 1265. Hæc iterum *Marquardus* FREHERUS inter *Scriptores Rer. German. Tom. I. p.* 343. primus vulgavit; unde poſtea novæ eorundem *Scriptorum* editioni,

tioni, a *Burc. Gotth.* STRUVIO adornatæ, *Tom. I. pag.* 493. *& ſeqq.* acceſſerunt, quam conſulere poteris. De memorato *Excerpto ex Chronica Auguſtenſi* verba faciens Perilluſtr. *Paulus a* STETTEN *ſenior* (*s*) judicat: *Chronicæ antiquæ Auguſtenſi*, ex qua illud *Excerptum* deſumptum fuit, idem accidiſſe, quod *Trogi* POMPEII *Hiſtoriis externis*, quarum jactura JUSTINO adſcribitur. Sed cum nullum ſuæ ſententiæ auctorem citet Perilluſtris Scriptor, penes ipſum fides eſto. Conſule, ſi lubet, *Guilielmum* CAVE, in *Appendice*, *p.* 126. *Chriſtophorum* HENDREICH in *Pandectis Brandenburg. Tom. I. pag.* 405. *Jo. Alb.* FABRICII *Bibliothecam med. & inf. Latinit. Tom. V. p.* 51. *Burc. Gotth.* STRUVII *Biblioth. hiſtor. p.* 1008. *Lenglet du* FRESNOY *l. c.*

V. *Chronicon Elwangenſis Monaſterii, excerptum per Matthæum* MARESCHALCUM, *ab anno* 1095. *usque ad annum* 1477. habes rurſus inter *Scriptores Rerum Germanicarum* FREHERIANOS, *Tom. I. p.* 453. editionis antiquæ: novæ autem a *Burc. Gotth.* STRUVIO adornatæ, *Tom. I. p.* 675. *& ſeqq.* Confer, ſi placet, ſæpius citatos Auctores: CAVEUM, *l. c. p.* 126. *Chriſtoph.* HENDREICH, *Jo. Alb.* FABRICIUM, *Lenglet du* FRERNOY, *ll. cc.* & *C. C.* STURM *Handbuch &c. I. Th. p.* 236.

VI. *Tractatus ſeu Hiſtoria de Origine progreſſuque generoſorum ac inclytorum Baronum de Geroldseck*, cujus auctorem *Noſter* ſeſe profitetur ipſe his verbis: *Idcirco ego Matthæus* MARESCALCUS *Romani Imperii de Piperbach & Pappenheim, Juris Doctor ac Canonicus Auguſtenſium propono in unum colli*ge-

(*s*) Vide illius Opus: *Hiſtorie der R. Reichs-Stadt Augſpurg*, *Tom. I.* in *kurze Nachricht von den Scriptor. Rer. Auguſt.* §. *II. No.* 1.

ligere geſta præclara de præfata familia ; ad honorem & gloriam inclytorum Baronum , ad perpetuam rei memoriam &c. Exordium hujus hiſtoriæ *latino* ſermone, *Hiſtoria* ipſa autem germanico perſcripta eſt. Repperitur illa in Opere Anonymi cujusdam, hoc titulo vulgato : *Pragmatiſche Geſchichte des Hauſes Geroldsegg , wie auch der Reichs - Herrſchaften Hohen - Geroldsegg , Lahr , und Malberg in Schwaben , mit* 213. *Urkunden ;* ubi primo loco occurrit. Extenditur autem a temporibus *Caroli M.* usque ad annum 1530.

VII. *Herrn Matthæus von Pappenheim des H. R. R. Erb - Marſchalls , Domherrn zu Augsburg , beeder Rechte Doctors , Chronik der Truchſeſſen von Waldburg , von ihrem Urſprunge bis auf die Zeiten Kaiſers Maximilian II.* in folio. *Memmingen* 1777. Incipit Chronicon iſtud a temporibus *Conſtantini M.* anno poſt Chriſtum natum 322. excurritque usque ad annum 1527. quo *Matthæus* noſter illud *Georgio III.* Dapifero S. R. I. a *Waldburg*, S. C. M. Locumtenenti in Ducatu *Wirtembergico*, miſit, cujus etiam , utpote permagni litterarum cultoris, hortationibus incitatus conſcripſerat. Quamvis autem *Noſter* eruditos labores ſuos non niſi ad annum 1527. perduxerit , tamen eos alius poſtea , ignotus Scriptor, usque ad annum 1536. continuavit. Extant hujus Operis in omnibus Archivis S. R. I. *Dapiferorum* exemplaria , per omnia ſibi ſimilia ac conſonantia ; adeo ut credibile fiat , plura ſimul apographa confecta fuiſſe. Vicem præfationis implent quatuor *Epiſtolæ* reciprocæ tum *Georgii III.* tum *Matthæi.* Interim , qui hanc Lucubrationem edidit (is nomen ſuum latere voluit) illam cum primis ac præſtantiſſimis *Noſtri* Operibus annumerat , utpote in qua Auctor , etſi ſimplici at claro

ſcriptionis genere uſus ſit, inſignem rerum genealogicarum, & veterum monumentorum, in monaſteriorum & eccleſiarum bibliothecis extantium, cognitionem abunde prodat: inſuperque aſſentationi aut adulandi ſtudio nihil det, ſed veritatem fido pede ſectetur; quam ſibi cordi potiſſimum fuiſſe, in quadam *Epiſtolarum* præviarum palam teſtatur. Maximam præterea fidem commereri ob id videtur, quod paſſim fontes indicet, unde ea, quæ narrat, manarint: &, quanquam hinc inde peccatum ſit, id tamen non tam *Noſtro*, quam, quæ illis temporibus adhucdum obtinuit, haud ſatis ſubtili limatæque criſi adſcribendum venit. De reliquo, etſi *Chronicon* hoc nunquam antea in publicum prodiverit, tamen Viros eruditos latere penitus haud potuit. Sic *Mart.* CRUSIUS ſæpius Manuſcriptorum *Matthæi* noſtri meminit: Sic *Sebaſt.* MUNSTERUS, quæcunque de Dapiferis a *Waldburg* ſuæ *Coſmographiæ* inſeruit, ex hoc Opere eſt mutuatus: Sic *Daniel* HEYDERUS in *Actis Lindavienſ. in Document. Lit. A a a. p.* 611. & ſeqq. idem Opus ſeſe inſpexiſſe dicit: ejusque rurſus mentionem Cl. WEGELINUS in *Biblioth. Script. Rer. Suevicar.* præmiſſa *Theſauro Rer. Suevic.* ingeſſit. *Chronicæ* hujus *Tomus II.* ſeu *Continuatio*, ab alio Scriptore confecta, prodiit in *folio*, *Campiduni*, 1785.

Hucusque in commemorandis *Noſtri* Operibus, quæ typo adminiculante per temporum decurſum in vulgus exiverunt, & Virorum doctorum manibus teruntur, immoratus ſum. Jam propoſiti mei ratio exigit, ut, etiam de Operibus *Noſtri* anecdotis, quæ adhucdum in Bibliothecis alibique deliteſcunt, ſermonem faciam. Horum initium ducere oportet ab iis Commentariis, quos *Noſter*

VIII.

VIII. *De Antiquitate & Initio Civitatis Epiſcopatusque Auguſtanorum* congeſſit: & de quibus *Achillem Pirminium* GASSARUM in *Annalibus Augſtburgenſibus* (*t*) audire juvat: *Circiter quam tempeſtatem* (annum ſcilicet 1523.) *conſcripſit Matthæus* MARCHSCHALCUS *a Byberbacho* ... *ſuccinctam Hiſtoriam latinam*, de antiquitate & initio civitatis epiſcopatusque Auguſtanorum; *ex qua nonnulla, præſertim quæ ad Clerum pertinent, ad Annales hoſce transſumpſi*.... Cum GASSARO hanc Hiſtoriam *Noſtro* attribuunt *Mart.* CRUSIUS (*u*), *Carol.* STENGELIUS (*x*), *Jo. Alb.* FABRICIUS (*y*) *Corb.* KHAMMIUS (*z*) Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *ſenior* (*a*) aliique. Utcunque autem horum Virorum permagna ſit auctoritas, neque ego derogare eidem ullo modo velim, tamen mihi usque dubium manet, utrum memorata *Hiſtoria* non unum atque idem Opus ſit cum eo, quod ſuperius *No. IV.* recenſui; de qua re me doctiores judicent.

IX. *Arbor genealogica S. Udalrici*, de qua *Wilhelmus* WITTWER (*b*) ſequentia litteris tradita reliquit: *Anno Domini* 1494. *nobilis & egregius*

 Doctor,

(*t*) Vide hos inter *Jo. Burc.* MENCKENII *Script. Rer. German. Tom. I. p.* 1761.

(*u*) *Annalium Suevicorum Dodec. III. p.* 581.

(*x*) In *Commentar. Rer. Auguſtanarum, P. II. p.* 264.

(*y*) In *Bibliotheca med. & inf. Latinit. Tom. V. pag.* 51.

(*z*) In *Hierarchia Auguſtana, P. I. cathedr. p.* 610.

(*a*) In Opere: *Hiſtorie der H. R. Reichs - Stadt Augspurg, Tom. I. in kurze Nachricht von Scriptor. Rer. Auguſtan. §. I. No.* 24.

(*b*) In *Catalogo* MSSto. *Abbatum SS. Udalrici & Afræ, Auguſtæ.* in 4to. *p.* 263.

Doctor, *Dominus Matthæus* MARSCHALCK *de caſtro Biberpach oriundus*, *nec non Præpoſitus S. Gertrudis*, *ac Canonicus Genitricis Dei & matricis Eccleſiæ Auguſtenſis ob laudem Dei & honorem SSmi Patroni noſtri Udalrici*, *præfatæ Eccleſiæ digniſſimi præſulis*, *fecit & compoſuit* arborem originalem ejusdem S. Udalrici epiſcopi ex utraque parte; *ut in Tabula videtur*, *quæ poſtea ſcripta & poſita eſt juxta ſepulchrum ejus & ante capellam S. Gregorii Papæ infra Eccleſiam & Dormitorium.*

X. *Arbor genealogica S. Symperti*, de qua mox citatus *Wilhelmus* WITTWER (*c*) ait: *Similiter eodem anno præfatus Doctor Matthæus* MARSCHALCK *eodem ordine compoſuit* arborem originalem SSmi Simperti epiſcopi Auguſtani *noviter translati* (*d*); *& eadem arbor ſuſpenſa eſt in Capella Sancti.* Noſtra ætate viſitur hoc *Matthæi* Opus, licet vetuſtate attritum, in ſupremo ambitu Monaſterii San-Udalricani.

XI. *De ſuprema Poteſtate Papæ Vicarii Petri Apoſtoli.* Hujus notitiam debeo Cl.Viro p.m. *Felici Andreæ* OEFELIO, editis *Rerum Boicarum Scriptoribus*, multisque aliis nominibus inclyto, qui in *Peutingerianis* ſuis, anecdotis hactenus, illud obſervaſſe ſeſe ait in quodam *Catalogo MSSto Bibliothecæ Peutingerianæ*, his verbis annotatum:

Matthæus a PAPPENHEIM. *Ejus habemus breve Scriptum de ſuprema poteſtate Papæ Vicarii Petri apoſtoli.*

Addit

(*c*) In eodem *Catalogo*, p. 263. Ceterum *Wilh.* WITTWERI vitam deſcripſi in *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabeto I. p.* 214. *& ſeqq.*

(*d*) De hac Translatione anno 1492. facta vide *Bern.* PEZII *Theſaurum Anecdotorum noviſſimum, Tom. II. P.III. p.* 447.

Addit inſuper, hoc opuſculum, PEUTINGERI, *Chuonradi* ſcilicet manu deſcriptum, exhiberi in *Codice MSSto Miſcellaneorum*, ſignato *O o* 1. 20. in folio.

XII. Poſt enumeratas tum *editas*, tum *ineditas* Lucubrationes, quæ *Matthæum* noſtrum indubitato auctorem habent, ſupereſt, ut de uno adhuc monumento *anecdoto* verba faciam, quod an attribui *Noſtro* debeat, nec certum ſatis, nec ſatis incertum habeo. Extat nimirum in Bibliotheca Capituli cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* Volumen MSStum in folio, nitidiſſimis characteribus in charta pergamena exaratum, & gentilitiis familiarum nobilium Inſignibus elegantiſſime pictis decoratum; quo ſequentia continentur:

1. *Catalogus Epiſcoporum Auguſtanorum*, a *Narciſſo* Epiſcopo Gerundenſi usque ad *Fridericum* Comitem de *Hohen - Zollern* deductus: in quo etſi auctor, quisquis is eſt, finem laboris ſui pereruditi feciſſe videatur, tamen poſtmodum duos alios Epiſcopos adjecit, ſcilicet *Henricum* a *Lichtenau*, & *Chriſtophorum* de *Stadion*.

2. *Catalogus Canonicorum Eccleſiæ Auguſtenſis, qui fuerunt electi in Epiſcopos alibi.* Hic Catalogus nullo ordine chronologico ſervato pertexitur.

3. *Catalogus Præpoſitorum majoris Eccleſiæ Auguſtenſis.* Excurrit hic Catalogus ab anno 980. ad annum 1519. quin tamen accurata chronologiæ ratio habeatur.

4. *Excerpta ex antiquo Libro in pergameno in Liberaria B. Virginis.* Eſt genus parvi Chronici *Auguſtani*.

5. *Excerpta ex antiquo Libro ex Liberaria S. Mauritii.* Hæc itidem parvi Chronici *Auguſtani* ſimilitudinem referunt.

6. Annotatio eorum, quæ Capitulum cathedralis Eccleſiæ a civitate Auguſtana paſſum eſt, detrimentorum, hac inſcriptione: *Anno Domini milleſimo CCC.LXXXIX. Das ſind die Gebreſten des Capitels unſer Frauen, als ſy hernach geſchriben ſtand.* Ceterum manus, qua hæc poſtrema ſcripta ſunt, longe alia eſt ab ea, qua præcedentia fuerunt exarata.

Quod ſi poſthæc ex me ſciſciteris, Lector! quæ me cauſſæ adduxerint, cur litterarium partum hunc *Noſtro* adjudicem, paucis eas accipe. Sunt illæ *ætas* conſcripti Voluminis, quæ cum ætate *Noſtri* perbelle cohæret: *argumentum* ipſum, quod tractatur, & cum eo ſtudiorum genere, quo *Noſter* delectatus eſt maxime, mire convenit; etenim hiſtorica ſectari, & facere Excerpta chronicarum multum amavit *Noſter*, uti ex ſupra dictis patet: denique *nonnulla*, quæ in hoc Volumine legere eſt; & ex quibus clare colligitur, auctorem non modo *Canonicum cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ* fuiſſe, vixiſſeque ſæculo XV. exeunte, & ineunte ſæculo XVI. ſed etiam eo multum ſpectaſſe, ut veteres *Calatinos* ac *Mareſchallos* colligeret, eamque omnem proſapiam magis magisque illuſtraret. Atque ut liquidius pateat, quod modo dixi, juvat quædam ex ſupra memorato *Catalogo Epiſcoporum Auguſtanorum* excerptim dare.

In *Seyfrido* ſeu *Sigefrido* de *Rechberg* (1) dicit: „ *Seyfridus*, de *Rechberg* dictus, natione Suevus, „ de

(1) Vide *Khammii Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 235. qui *Sigfridum* ex nobiliſſima *Rechbergiorum* familia prognatum, Mareſcallum

„ de *Kallatin* ortus ſucceſſit anno Domini 1208.
„ vivente & regnante Philippo rege, qui rex eodem anno occiſus fuit, cujus miniſteriales fuerunt illi de *Rechberg* dicti de *Kallatin*; unde pondero, quod quaſi duo menſes rex ſupervixit.
„ Ubi conſiderandum, quod fuerunt *duæ* familiæ ſeu genealogiæ de *Rechberg*: una apud monaſterium *Wltnbach* (2) & quatuor milliaria a civitate *Vindelica* habuerunt moram Nobiles de *Kallatin*, dicti de *Rechberg* (3) de quo ſanguine *Marſcalci* de *Bappenhaim* & de *Biberpach* etiam ortum habent: & perſonæ ſpirituales, ſeu illi, qui non habuerunt officium, denominarunt ſe ſimpliciter de *Kallatin*, vel *Rechberg* a loco &c.
„ Item ſunt & alii de *Hochen-Rechberg* apud *Gamundiam* civitatem, unde D. Decanus (4) arbitratur, illum fuiſſe de ſua familia de *Hochen-Rechberg*, & aſſerit: *hunc Seyfridum habuiſſe fratrem, epiſcopum Spyrenſem.* Sed D. *Magnus* MARSCALCUS (5) & EGO putamus, eos de familia noſtra fuiſſe, certis motivis & indiciis, quæ cauſſa brevitatis relinquo "...

ſcallum de *Calatin*, *Hildebrandi* de *Rechberg*, *Philippo* II. fideliſſimi, fratrem dicit. Confer *Hieron. Henninges Opus genealogicum*, *P. I. p.* 464. & *Döderlinum* in *Tabula I. genealogica* & alibi paſſim.

(2) Interpretor *Fultenbach*. Hic in Codice aliena Manus adſcripſit: *Silvanienſe*.

(3) Hic in Codice aliena Manus addidit: *Ubi caſtrum egregium Dornsperg, quod quondam, ut fertur, Gaisberg a capra ſilveſtri, dictum aliis Rechberg; nam eo tempore, anno* 1188. *fuit D. Udalricus Marſcalcus de Rechberg, regente Henrico Imperatore & Udalſcalco Epiſcopo.* Ceterum de *Rechbergicis Mareſcallis* vide *Hier. Henninges*, *l. c. Döderlinum* in *Tabula III. genealog.* & alibi paſſim.

(4) Videtur indigitare *Udalricum* de *Hohen-Rechberg*, qui ab anno 1465. usque ad annum 1501. Decanus majoris Eccleſiæ *Auguſtanæ* extitit, teſte *Khammio*, *l. c. pag.* 546. *& ſeqq.*

(5) De *Magnis*, *Mareſcallis* de *Rechberg*, confer *Hieron. Henninges l. c. p.* 464. *Döderlinum* in *Tabula III. genealogica*, & alibi paſſim.

In *Friderico* de *Hohen-Zollern* ait: „ *Fridericus* Comes de *Hohenzollern*, ex matre Comes „ de *Werdenberg*, filius ſororis prædicti *Joannis* „ epiſcopi, antea Decanus *Argentinenſis*, anno „ eodem poſtulatus & electus in epiſcopum, ac „ per *Fridericum III.* imperatorem promotus. Sub „ eo epiſcopatus multum crevit in temporalibus, „ ſeditque *usque in præſentem*, *ſcilicet* 1495, „ annis octo. Et ſic ſuccincte annotavimus omnes „ epiſcopos Auguſtanos, juxta verum ordinem „ ex diverſis ſcriptis & locis in unum cumulatis, „ nec reperies ita annotatos & correctos propter „ exactum laborem. Ideo pius Lector diligenter „ ruminet, nec ſtatim corrigat; neque moveat „ eum, ſi interdum alibi contrarium inveniet &c. „ nam pro certo comperi, quod ab annis fere CC. „ non fuerunt ab aliquo debite & recte collecti, „ juxta ordinem & annotationem... Hic tandem „ ſedit annis 19. & obiit anno 1505. die octa„ va menſis Martii, ſepultus in capella S. Gertru„ dis. Laus Deo!

In *Henrico* a *Lichtenau* vero ſequentia narrat: „ Henricus, natione Suevus, Nobilis de *Lichte„ nau*, natus ex matre *Burckgravius*, electus „ concorditer, proxima die poſt *Quaſimodogeniti*, „ eodem anno, *cui electioni interfui.* Hic Doctor „ Juris extitit, & antea Vicarius Præceſſoris ſui „ ac Conſiliarius ejus frequenter, & quaſi continue „ apud Curiam illius exſiſtebat, ac negotia Ec„ cleſiæ plurimum tractavit, confirmatusque eo„ dem anno de menſe Julii, ſedit annum unum „ in præſens. “

Vides, Lector! ut ſe Auctor, in *Henrico* a *Lichtenau*, haud obſcure *Canonicum* majoris Ec-

cleſiæ

cleſiæ *Auguſtanæ* faciat ; ut ſe , in *Friderico* de *Hohen-Zollern* , *Catalogum Epiſcoporum Auguſtanorum* anno 1495. compleviſſe teſtetur, etſi poſtea duos alios epiſcopos proxime ſuccedentes addiderit : ut, in *Seyfrido* de *Rechberg* , cordi ſibi eſſe *Calatinos* , *Rechbergios* , *Marſcallos* palam prodat : denique ut ſe *Marſcalcum* faciat, dum dicit : *Sed D. Magnus* MARSCALCUS *& EGO putamus, eos de familia noſtra fuiſſe.* Accedit, ſimilia iis, quæ ſuperius (in *Seyfrido* ſeu *Sigefrido de Rechberg*) tum de hoc *Sigefrido* ipſo , tum de arce *Dornſperg* & de etymologia vocis *Reh* , in *Nota* (3) narrantur , legi apud *Matthæum* noſtrum in Opere *de Origine & familia DD. de Calatin*, *c.* 39. 40. 41. 45. 46. 47. Hæc omnia fidem mihi faciunt, Lucubrationem iſtam *Matthæo* noſtro in acceptis referendam eſſe. Quod ſi , poſthabitis his cunctis , Lector ! *Matthæum* ſæpius memorati Voluminis conditorem agnoſcere renuas , & quendam e familia *Rechbergiorum* eſſe contendas, non eſt , quod oggeram niſi , hoc ſemel poſito , illius auctorem alium haud eſſe poſſe , quam ſolo nomine, re alia nulla , nec etiam ulla doctrinæ laude notum mihi , *Albertum* de *Rechberg*, quem anno 1494. Canonicum *Auguſtanæ* Eccleſiæ cathedralis factum eſſe lego apud *Corb.* KHAMMIUM in *Hierach.Auguſt. P. I. cathedr. p.* 610. Etenim omnes , qui ab anno 1400. usque in annum 1495. a KHAMMIO *l. c.* inter Canonicos cathedrales recenſentur , *Rechbergii* , aut ſunt *Rechbergii* de *Hohenrechberg* : aut ſi quidem *Rechbergii* ſunt , ante annum 1495. quo Opus completum eſſe dicitur , mortem oppetierunt.

Interim ne te aſymbolum dimittam, Lector ! & ut aliquo modo diſpicere valeas , quodnam ſit pretium ſæpiſſime laudati Codicis , hoc loco *Ex-*

cerpta ex antiquo Libro ex Liberaria S. Mauritii, ſubnectere conſtitui, nec multum prolixa, nec res ubivis obvias complectentia, ad quorum finem Auctor ſeſe in *Marſchallis* inquirendis ſatis curioſum fuiſſe rurſus prodit.

Ex antiquo Libro ex Liberaria S. Mauricii.

Anno ab incarnatione Domini 1149. Hermannus Subdiaconus S. Mariæ Scholaſticus in Eccleſia S. Mauricii Præpoſitus. Hic etiam primus contra Eccleſiam S. Mauricii a Papa impetravit privilegium, ut non liceat nobis eligere Præpoſitum, niſi de ſumma Eccleſia prius libera fuit electio &c. Hic a caſu in villa, quæ prope Oſtenburg Eſchen vocatur, in nocte incendio periit, ſepultus eſt Maguncie ad ſummam Eccleſiam.

Anno Domini 1056. ventus validiſſimus eſt ortus, qui & villas & urbes eccleſias & caſtella ſubvertit.

Anno Domini 1184. Hartwicus Auguſtenſis Epiſcopus feria tertia hora fere quinta die obiit. Hic primus advocatiam Friderico Imperatori & filiis ſuis Friderico Duci Sueviæ, Conrado & Phylippo conceſſit. Unde Epiſcopatus totus & ipſa civitas preſſuras multas eſt paſſa, & in jure ſuo decreſcere cepit. Sedit annos XVI. menſes tres exceptis ſeptem diebus. Sepultus eſt ante altare S. Gregorii occidentaliter verſus meridiem ab Ottone Aichſtettenſi epiſcopo. Eodem die circa horam nonam ab omnibus eſt electus Udalſcalcus in Diaconatu.

Seyfridus præpoſitus hujus Eccleſiæ natione de Witzeslingen, & qui Eccleſiam in Croelshaim huic Eccleſiæ donavit. Item annum mortis præbendæ ſuæ in remedium animæ ſuæ nobis dedit: fuit etiam Decanus majoris Eccleſiæ.

Item Hermannus ſupra in ... nominatus fuit de Villa Bartelſteten oriundus.

Anno Domini 1288. 3. Idus Martii Fr. Hainricus epiſcopus Maguntinus obiit: hic natione de oppido Yſnaw apud Campidonam ſita, primum de ordine fratrum minorum, de populari progenie exiſtens apud Baſileam factus

ctus eſt epiſcopus in conſilio Lugdunenſi, poſtea in Curia Romana favente ſibi Rudolfo rege Romanorum obtinuit Archiepiſcopatum prædictum. Hic in dyabolica & inaudita arrogantia elatus clerum, ultra quam dici poteſt, perſequebatur, milites clero in omnibus præferens & honorans, ſicque clerus de ſua morte exultavit, ac ſi de hoſte, & rerum cleri extorſore.

Anno Domini 1188. Fridericus Imperator, & filius ſuus Fridericus Dux Sueviæ cum epiſcopis & aliis multis principibus Crucem a Hainrico epiſcopo Cardinale, a Papa Gregorio VIII. ad hoc miſſo, Crucem ad proficiſcendum contra Salidinum regem Sarracenorum, qui tunc multis Chriſtianis occiſis Crucem & ſepulchrum Domini ceperat, Maguncie die dominico, quæ tunc fuit: *Lætare Jeruſalem*, devotiſſime accepit.

Anno Domini 1160. Gerhart presbyter Canonicus Eccleſiæ S. Mariæ in preſpiteratu vivens. annos LXXXX. & plus plenus dierum obiit. Item recordabatur, quod omnia quæ Bruno Epiſcopus Eccleſiæ S. Mauritii contulerat, integraliter illuc pertinebant ut de Canonicis ejusdem Eccleſiæ.

Bruno Epiſcopus natione Bavarus, fundator Eccleſiæ S. Mauricii, quam & multis modis & bonis ditaverat & ordinaverat, & quadraginta ibi Canonicos inſtituerat, feliciter obiit. Hanc autem Eccleſiam frater ſuus Imperator Hainricus, qui Eccleſiam ſuam Babenbergenſem conſtruxerat, in tantam redigit paupertatem, ut nichil de pertinentibus illuc redditibus, & nullus de quadraginta remaneret canonicus, donec bonæ memoriæ Embricus epiſcopus illam reſtauravit, & XII. tantum ibidem Canonicos inſtituit.

Anno Domini 1147. Rapoto ſubdiaconus S. Mariæ Canonicus, & S. Mauricii Præpoſitus obiit. Iſte a caſtro Wallerſtain oriundus ſecundum carnem nobilis, militaribus actibus ſæculi plus juſto ſerviens ac venationibus ſtudens ita Canonicorum S. Mauricii attriverat præbendas, ut non niſi quiudecim ſolidum eſtimarentur. Unde quodam tempore in villa Balteshauſen, multis aſſumptis cauſa venandi progreſſus, febre correptus auditum ex toto perdidit, ita cum domi ſuæ diſponere voluiſſet, ſcripto in tabulis indicaretur ſibi, quid fieri vellet. Sic erga

Augu-

Auguſtam reductus per aliquot dies ſanguine de naribus & ore continue profluente in flore juventutis miſerabiliter vitam finivit; Opinio plurimorum fuit, quod ultio divina percuſſerit eum.

Anno 1271. vernali Hartmanno Comite de Dillingen regente epiſcopatum Auguſtenſem, & Eccleſia Romana poſt deceſſum Clementis Papæ quarti carente tunc anno quarto pontifice in Suevia & per omnes circumjacentes provincias tanta fames invaluit, ut in eadem civitate modius tritici pro quatuor libris Auguſtenſibus, modius ſiliginis pro tribus libris & quatuor ſed modius Ordee pro 35. ſed modius avenæ pro XX. ſed Auguſtenſibus venderetur: plurimi etiam pauperes fame anguſtiati miſeria quaſi exanimes: & plures inveniebantur mortui in plateis; tali cariſtia poſt feſtum Jacobi apoſtoli ejusdem anni abſcedente peſtilentia magna venit.

Anno Domini 1299. corruit Monaſterium S. Mauricii hora cenæ in die Dominico in feſto S. Urbani &c. Eo tempore fuit Wolfhar Auguſtenſis Epiſcopus. Eo anno fuit Heinricus Presbyter & Canonicus S. Petri receptus in Canonicum S. Mauricii, demum parvo ſpatio temporis in decanum ibidem electus.

Anno Domini 1202. Udalſcalcus Auguſtenſis epiſcopus hora quaſi nona in vigilia penthecoſtes, in omnibus preſſuris, quas ſuſtinuit miræ patientiæ obiit. Sedit annos 18. menſes 4. Sepultus eſt ante crucem in tumba Embrionis epiſcopi.

Anno Domini 1191. Fridericus Imperator die dominica hora nona diei refrigerari volens in flumine, cui nomen eſt Seleph in Armenia ſubmerſus eſt, cum contra Saracenos pergeret. Unde totus Chriſtianorum exercitus animo fractus Friderico filio ejus duce exercitus inſtituto ad liberandam Actarie, quam Saraceni tenebant, profectus eſt, quam & multo labore expugnant, Friderico duce ibidem mortuo & ſepulto.

Goreſcalcus S. Mauritii Præpoſitus, antea Plebanus, obiit iſte de proprio S. Mauritii collegio, non aliunde aſſumptus, bis ſine omni contradictione per electionem fratrum factus Præpoſitus, infirmitate coactus ad cœnobium S. Georgii ſæculo renuncians transmigravit, ipſeque defunctus eſt & ſepultus in veteri clauſtro.

Anno

Anno Domini 1286. in craſtino Udalrici epiſcopi Hartmannus natione Comes de Kyeburg, dictus de Dillingeu obiit: hic manſuetiſſimus hominum fuit, & Eccleſiam Auguſtenſem rexit per XLII. annos: in pace ſepultus eſt in Eccleſia Auguſtenſi ante Crucem. Hic dedit Eccleſiæ Auguſtanæ Caſtrum Dillingen cum omnibus ſibi pertinentibus: ſub eodem tamen Epiſcopo Eccleſia Auguſtenſis multum decrevit, etiam Eccleſia ſub eo maxime corruerat: tunc temporis, ut fertur, vix habebat centum libras dempto eo, quod a Clero ſolvi conſuevit; licet ipſa Eccleſia olim habuerat ad duo millia libras denariorum Auguſtenſium de redditibus. Huic ſucceſſit Sigefridus in epiſcopatu natione de Algeshauſen, qui rexit Eccleſiam Auguſtenſem duobus tantum annis. ipſe multum profecit. ipſe etiam dedit Caſtrum Pferſen cum omnibus pertinentiis Eccleſiæ: obiit anno Domini 1288. in die beatorum Joannis & Pauli, in Eccleſia Auguſtenſi ante crucem in pace ſepultus. Huic Seyfrido ſucceſſit Wolſhardus natione de Rot, qui omnia quæ prædictus Seifridus verbis redimerat, pecunia ſolvit, in tantum quod in tercio anno pontificatus ſui tam in ſolutionem debitorum a ſuis prædeceſſoribus contractorum, etiam expenſis pro Eccleſia factis, ſeptem millia librarum Auguſtenſis monetæ expendant.

Anno Domini 1168. Arnoldus Maguncie Sedis archiepiſcopus a miniſterialibus in Eccleſia S. Jacobi extra muros urbis occiditur. Rudolphus frater Ducis Lamigie ab ipſis interfectoribus electus ab imperatore Friderico reprobatur, & per ſententiam Conradus natione Bavarus ſubſtituitur; hic quia poſtmodum ſchiſmati conſentire noluit, & parti Alexandri Papæ adhæſit, ab ipſo Imperatore expellitur, & Chriſtianus natione Saxo ſuperponitur.

Anno Domini 1065. fuit Ricancia Comitiſſa uxor Comitis Conradi de Baltershauſen, de Auſtria oriunda obiit. hæc præbendam, quæ nunc ſacerdotes S. Mauritii ſecundum ſtationes eorum circumducitur, de propriis facultatibus ordinans ſolis ſacerdotibus tradidit, ita ut, cujuscunque ſacerdotis ebdomada fuerit ad celebrandum, illi quoque per illam ſeptimonam eadem contingat præbenda. Unde & adhuc *præbenda comitiſſæ* nominatur. Sepulta eſt in Auſtria non ſine dampno Eccleſiæ; nam ſi ſupervixiſ-

ſet,

ſet, omnia prædia ſua in Auſtria ſita tradidiſſet eccleſiæ.

Marquardus Canonicus & Plebanus Eccleſiæ S. Mauritii obiit proxima die ante feſtum S. Udalrici: fuit tempore Ottonis & Seifridi Præpoſitorum, Eccleſiam in Goltbach cum aminiculo Seifridi Præpoſiti primus a fundamento conſtruxit. Idem ubique collegit pro refectione Eccleſiæ S. Mauritii, quæ exhauſta fuit.

Anno Domini 1178. Schiſma, quod viginti fere annis duraverat, terminatur Venetiis, & concordia inter Alexandrum Papam, & Fridericum Imperatorem firmatur utroque ibidem præſente.

Embrico epiſcopus Maguntinus, ante Præpoſitus, plenus operibus bonis & eleemoſynis migravit ad Dominum. Hujus inſtinctu Comes Conradus de Walteshauſen, omnia, quæ circa flumen Mindelam habemus, contulit S. Mauricio. Ipſe vero villam Deberin cum omnibus illuc pertinentibus & duas hubas in civitate contradidit.

Anno 1186. Terræmotus factus eſt prima hora diei. Eodem die pugna inter Sarracenos & Jeroſolymitanos immittitur, in qua Chriſtianis victis & plurimis occiſis Jeroſolyma capitur, crux Domini a Saladino principe abſportatur, Epiſcopus Bethlehemiticus occiditur, & omnes civitates ac munitiones Chriſtianorum & a Barbaris occupantur. Super quo extant adhuc litteræ Papæ Gregorii VIII. per Tetuniam & omnes provincias miſſæ.

Anno Domini 1203. Hermannus Decanus & Plebanus Eccleſiæ noſtræ, & Canonicus Aichſtettenſis, in diſciplina chori peritiſſimus, obiit in die Stephani Papæ.

Anno Domini 1183. Chriſtianus Maguntinus Archiepiſcopus in ſchiſmate ſuperpoſitus XI. annis circa Romam & Anconam exercitum ducens, rapinis & incendiis ſæviens obiit, Tuſculani ſepultus eſt. Conradus natione Bavarus id eſt, de ſtirpe Bavariæ, prius expulſus, Maguntinæ reſtituitur.

Anno Domini 1190. Seyfridus Præpoſitus S. Mauritii & Canonicus S. Mariæ, a villa Hochenſtetten oriundus obiit. Lis duriſſima inter Epiſcopum Udalſcalcum & Canonicos S. Mauritii de ratione Præpoſituræ oritur. Canonici Hainricum de Brentze eligunt; Epiſcopus vero Hain-

Hainricum de Emerſacker violenter inſtituit. Lis iſte Maguntiæ in generali Synodo præſidente Conrado Archiepiſcopo præſentibus quoque epiſcopis Burckardo Argentinenſi, Conſtantienſi, Spirenſi, Ottone Aichſtettenſi acerrime ventilata. Et in ipſo Udalſcalco Epiſcopo per appellationem ad Romanam Sedem translata ad duos annos protracta, tandemque præſente Friderico Imperatore & Ottone Babenbergenſi Epiſcopo, & Ottone Freyſingenſi epiſcopus in ripa lacus Conſtantienſis, in vico qui dicitur Wallershauſen terminata eſt, eodem die decurſis duobus annis. Iſte Seyfridus primis annis moriturus & diſpenſatione circa fratres difficialis, tandem ad cor reverſus, manſuetus eſſe cœpit; viſum per quatuor annos, ita quod ad manum tradebatur, perdidit. Sic ergo a Deo correptus difficili factus eſt levis &c. Eo tempore fuit Udalricus epiſcopus.

Anno 1167. Conradus epiſcopus Auguſtenſis vota multorum implens obiit, ab Ottone Conſtantienſi epiſcopo ad S. Udalricum tumulatus. Ibi Hartwicus Prior forte ad S. Udalricum, de Lierheim oriundus ſucceſſit ei. Udalricus de Kyebach, Canonicus & Scholaſticus S. Mauritii, qui collegit pro fabrica Eccleſiæ profectus usque in Saxoniam, ibique in negotiis morabatur. Corpore Conradi usque in vigiliam omnium Sanctorum reſervato, & tunc ab Ottone Conſtantienſi epiſcopo tumulato Hartwicus in nocte omnium Sanctorum ad primum fere pullorum cantum eſt electus.

Ego Conradus Scholaſticus Eccleſiæ S. Mauritii tenore præſentium profiteor, quod dimidium manſum dictum Weringershoven juxta flumen Schmutter &c. Datum Auguſtæ anno 1173.

Anno Domini 1065. Comes Conradus de Baletzhauſen, Richanza comitiſſa de Auſtria in matrimonium accepta, cum ſine heredibus decederet, in conſilio Embrionis epiſcopi Caſtrum ſuum Uſſenburp, cum villis & eccleſiis ſuis pratis & hominibus ſuis cum omnibus, quæ circa Myndelam habemus, beato Mauritio tradidit. Et ſic primo de bonis illius eccleſia eſt reſtaurata.

Anno Domini 1348. in die Converſionis Pauli terræ motus immenſus factus eſt per loca, ita ut quasdam civitates in Carinthia una dicta Villach, quæ funditus ever-

everſa fuit, & quamplura Caſtra eidem civitati vicina omnino ſunt dirrupta. Item etiam veridica relatione compertum eſt, quod ſæpe tactus terræmotus plures civitates & caſtella ad terram proſtravit, quorum nomina hæc: videlicet Civitas clemain wyden, item Lampach item Gürentz, poſt hæc tria caſtra Kellerperg, Schwartzenſtain, Arnolſtein, item Leoberg, Strasfrid, Graneg. Item ſedrum Vinckelſtain, Kraynburg linde. Item Holenburg, Biſentz, Willennſtain. Item Rechberg, Fledentz, Trieſt, Görtzſach. Item duo caſtra Stain vocata. Item Guttenſtain, Werdenberg. Item duo caſtra Valckenſtain abpellata. Item Leonſtain, Guttenperg &c. poſtea abhominabilis peſtilentia ubique ſecuta eſt.

Anno Domini 961. S. Wolfgangus natione Suevus, Comes de Pfullingen natus & de Feringenn factus epiſcopus Ratiſponenſis.

Anno Domiui 1015. Erneſtus dux in venatu interiit, cui filius ejus æquivocus ſucceſſit, hujus relicta Giſela Conradus Rex accepit uxorem.

Anno Domini 1066. Conradus de Pfullingen natus electus epiſcopus Treverenſis occiditur, & paſſus eſt apud Toletum.

Anno Domini 1072. Dietricus Comes de Lüzelburg proficiſcens Jeroſolymam tranſivit, qui S. Conradum de Pfullingen occidit.

Anno Domini 1048. Hunfrid de Mümpelgart avnnculus Luitoldi & Cunonis Comitum de Achalm factus Ravennæ epiſcopus.

Anno Domini 963. alias 73. Burckhardus Dux Suviæ obiit, cui Otto filius Luitoldi Ducis ſucceſſit.

Anno Domini 1088. Auguſta urbs inſidiis Suevorum in cœna Domini capta, & Sigefridus Epiſcopus cuſtodiæ mancipatur per Welfonem Ducem in caſtro Ravenſpurg: occaſione hujus Udalricus pincerna occubuit, quo epigramma in quadam porta hujusEccleſiæ inſculpta videlicet

Pontificis minul tulerant ſclathos Sigefridi,
Udalricus ego ſic tibi notus ero.
Welfo ducens aciem gladio me ſtravit inermem
ne patiar gladius, tu pete, tartarios.

Lux piens claras Semptembris novem Kall. me.

Item

Item Conradus Vicedominus, Canonicus Auguſtenſis contradidit prædium in Biberbach cum Eccleſia, & prædium in Ekirch cum Eccleſia ad Præpoſituram Auguſtenſem. Item donavit Eccleſiam in Poeltzhofen ad officium Scholaſtariæ. Item prædium unum ibidem ad Præpoſituram. Item aliud prædium ibidem donavit. Item prædium in Lanquait tradidit Eccleſiæ. Item dedit etiam Eccleſiam in Anhauſen &c. Ipſe fuit de Rechberg, natus de familia Marſchalck.

Anno Domini 1200. fuit Hyltprandus Marſchalcus de Rechberg, ut patet in litteris ad S. Crucem. Item in litteris Hainrici Marſchalcki de Kalentin de anno 1214. ubi fuit teſtis.

Item anno Domini 1190. fuit Dominus Ulricus Marſcalcus de Rechberg, qui donavit ſacrarium argenteum monaſterio S. Crucis pro conſervatione Sacramenti miraculoſi, quod ibidem exiſtit. huic primo uxorem Adelhaid, demum Bertrand, ut continet ſcriptura inſculpta ibidem.

Anno Domini 1306. Dominus Conradus de Rechberg Præpoſitus & Teſtis in quibusdam litteris.

Item anno Domini 1279. obiit Hyltprandus de Rechberg Cuſtos & Canonicus. Et hoc die proxima ante Vitalis Martyris obiit Hyltprandus Canonicus dictus de Rechberg, ita in libro Oblaiorum: fuitque de familia Marſcalcorum, quorum in feneſtra antiqua capellæ S. Catherinæ eſt imago, & ibi ſupra in circulo ſcriptum: *Hyltprandus Marſchalcus*; & ibi arma Marſchalcorum, cujus capellæ fundator præfatus Conradus de Rechberg extitit.

Item Anno Domini 1342. ſeptimo idus Septembris obiit Hyltprandus Marſchalcus dictus de Byberbach, Canonicus Auguſtenſis.

Item anno Domini 1098. fuit Rempoto Vicedominus & Hartwicus; & anno 1150. fuit Otto Vicedominus Canonicus Auguſtenſis, de caſtro Haspurg natus.

Item anno Domini 1186. fuit Dominus Conradus de Laichling Vicedominus electus in Epiſcopum Ratisponenſem.

Item anno Domini 1242. fuit Dominus Udalricus Vicedominus &c. Unde fuit magnum officium in Straubingen, quod habuit Capitulum Auguſtenſe &c. (6).

(6) Sphalmata grammaticalia in his *Excerptis* occurrentia intelligens Lector ipſe corriget.

PEUTINGER (*Conradus*)

Conrado PEUTINGERO *Juriſconſulto* nominatiſſimo, multarumque aliarum ſcientiarum laude inſigni, *Archigrammatæo* Reipublicæ *Auguſtanæ* locus præ multis aliis in præſenti *Bibliotheca* ſummo jure deberetur; ſin minus de illo ſingulari, eoque juſtæ molis Libello a me actum fuiſſet. Hujus res geſtas ante me fuſe deſcripſerat *J. G.* LOTTERUS *Auguſtanus* edita *Hiſtoria Vitæ atque Meritorum Conradi* PEUTINGERI *JCti Auguſtani*, quam ego novis curis recognitam, fereque duplo auctiorem *Auguſtæ Vindel.* in 8o. anno MDCCLXXXIII. denuo typis publicavi, adjectis aliquot tum *Noſtri* ad Viros ſua ætatis eruditos, tum *horum* ad *Noſtrum Epiſtolis anecdotis.* Nihil poſt hæc ſupereſt, niſi ut 1o. benevolum Lectorem obſecrem, illam novam *Vitæ* PEUTINGERI editionem conſulat: 2o. ut quæ ſupplenda corrigendaque mihi hactenus occurrerunt, ſuppleam corrigamve. Itaque

In Præfatione, *nota* (*a*) poſt verba: *amplexum eſſe*, adde: una cum Collectoribus LEXICI *hiſtorici univerſalis*, *Baſileæ* vernaculo ſermone excuſi, *Tom. V*, falſo &c.

Pag. 19. *nota* (*u*), ubi de anno, quo *Noſter* a *Maximiliano I.* Auguſto in album *Conſiliariorum* adſcriptus fuit, agitur, adverte, Lector! id ante annum 1503. aut certe anno 1503. factum fuiſſe. Vide *inferius*, in VANNIUS (*Udalricus*) *nota* (*b*).

Pag.

Pag. 24. in *Addendis ad Stemmatis Peutingeriani Tabulam II.* adde : Qui de genealogia PEUTINGERORUM adhuc plura ſcire cupit, conſulat *Hieronymi* HENNINGES *Opus genealogicum, P. I. p.* 540. & , qui ibi citatur , LAZIUM. Ego , quæ ſupplenda eſſent ex genealogia a memorato HENNINGES allata , eoquod illa mihi minus plena minusque accurata eſſe videtur , hic apponere nolo. Inveni præterea apud KHAMMIUM *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 419. quendam *Conradum* PEUTINGERUM ſecretioris Senatus , qui a *Suecis* Auguſta potitis anno 1632. una cum aliis, tum eccleſiaſtici tum ſæcularis ordinis, Viris optimatibus per aliquot dies in Curia captivus detentus fuit. Eſt *Conradus* iſte haud dubie is (quem anno 1572. natum , inter Senatores urbis patriæ anno 1601. adlectum , anno vero 1632. dignitatem Senatoriam abdicaſſe tradit *David* LANGENMANTEL in *Hiſtorie des Regiments der H. R. Reichs - Stadt Augſpurg*) atque ob idipſum probe diſtinguendus ab eo *Conrado* , quem in ſuperius citatis *Addendis ad Stemmatis &c. No. VII.* poſui ; niſi dicere malis, eum jam anno ætatis *octavo* inter *Academiæ Ingolſtadienſis Inſcriptos* locum accepiſſe ; quod mihi a vero multum abludere videtur.

Pag. 31. *lin.* 21. poſt verba : *conſequutus eſt* , adde (*n*)

Pag. eadem , *lin.* 29. dele : *morte defuncta* (*n*) *eſt* , & lege : *Noſtro* nupſit.

Pag. 66. poſt verſum : *Res fecit charum publica Cæſaribus*, adde : ALCIATI & FABRICII teſtimonia confirmat *Michael* HERTZIUS in *Bibliotheca german. no.* 36. ubi, cum PEUTINGERI noſtri laudes memoraſſet , ſubdit : *Atque ut ſolutæ etiam orationi*

ligatam miſceamus , *de Patria ſua ſuaviſſime cecinit.* Jure, credo, vitio verterim HERTZIO, quod addere omiſerit, ubi inveniri queant, quæ cecinit *Noſter.* Similis negligentiæ incuſari forſitan poteſt *Thomas* AUCUPARIUS, qui, etſi *Noſtrum* a poeticæ artis peritia laudet, ita tamen ſeſe exprimit, ut major inde lux nobis minime affundatur. Utcunque ſit; juvabit tamen ejus *Carmen*, dubio procul anecdotum, ad *Noſtrum*, a me ex Autographo in Bibliotheca *Collegii* quondam *Societatis Jeſu* deſcriptum, hoc loco adſuere:

Thomas Didymus AUCUPARIUS *P. L.* (*a*).
Conrado ſuo PEUTINGERO,
Viro undecunque ornatiſſimo
S. P. D.

Salve Heliconiadum Decus immortale ſororum,
Caſtalii *ſalve* Gloria magna gregis.
Quem genus, eloquium, virtus, prudentia clarum
Illuſtri reddunt nobilitate Virum.
Ingenium tibi, rara parat doctrinaque nomen
Perpetua dignum poſteritate coli.
Suevica gens multum, multum Germania, multum
Pieridum *debet* Delphica turba *tibi.*
Qui decoras noſtros miro ſplendore penates
Et titulis patriam, docte Poëta, *novis.*
Es bene de Doctis meritus; quum ſemper amicis,
Inprimis nobis officioſus eras.
Dum mihi palladia data eſt de fronde corona
Et nova cæſarea laurus amata manu.
Omne tibi ſtudium pro quo, vires; operamque,
Promitto, & quidquid noſtra Thalia poteſt.
Viſce-

(*a*) Lege: *Poëta laureatus.* Laurum autem poeticam ſeſe *Conradi* PEUTINGERI interventu adeptum eſſe, ſatis clare hoc carmine indicat.

Viſcera & obſequium noſtrum, nutus, animumque
PEUTIGER! *ad votum ſuſcipe docte tuum.*
Tu mea plectra moves, cytharam facis eſſe ſonoram,
Trejiciam facies non reticere lyram.
Bene vale! Ex ædibus WOLPHII
noſtri, junioris.

Pag. 77. *lin.* 27. poſt verba: *gratioſe indulſit*, adde: Raritatem hujus juxta ac præcedentis Opuſculi novis, iisque argutis admodum rationibus *J. G.* LOTTERUS in *Epiſtola ad J. G. Schelhornium de edendis Peutingeri Operibus.* 1731. comprobare non intermiſit.

Pag. eadem, *lin.* 35. poſt verba: *compoſuit Noſter*, adde: præmiſitque editioni PAULI *Diaconi de Geſtis Longobardorum* (Vide paragraphum ſequentem No. 3.)

Pag. 84. *lin.* 29. poſt verba: *fronte Operis indicat*, adde: Quo eodem loco Imp. *Maximilianus* in Privilegio impreſſorio his verbis utitur: *Cum... Joannes Miller impreſſor Auguſtenſis Chronicam Abbatis Aurspergenſis imprimere intendat impenſa ſua, quam ipſe conquiſivit ex diligentia honorabilis* Conradi Peutingeri *J. V. D. Conſiliarii noſtri, noſque cupiamus....*

Pag. 91. 92. ubi de *Noſtri* Operibus *anecdotis* fuſe per totum *Paragraphum IX.* a me actum eſt, notes velim, Lector! plura horum jam e Bibliotheca *Collegii* quondam *Societatis Jeſu* emigraſſe, & in manus Viri eruditi cujusdam *Auguſtani* tranſiviſſe.

Pag. 142. ubi de *Michaele* HUMMELBERGIO ſermo eſt, nota, Lector! *J. G.* SCHELHORNIUM *juniorem* de eo copioſius egiſſe in Libro: *Beyträge zur Erlauterung der Geſchichte*, *I. Stuck*, *p.* 34.

H 3 Hæc

Hæc ſunt, quæ in *Hiſtoria Vitæ atque Meritorum Conradi* PEUTINGERI, a me edita, vel corrigenda vel ſupplenda duxi. De eruditis autem familiæ *Peutingerianæ* tum Viris tum Fæminis, qui *Noſtrum* conſecuti ſunt, quæcunque dicere habui, ea hujus *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, *Alphabeto I. pag.* 130. *& ſeqq.* expoſui.

REHLINGEN (*Sebaſtianus* a)

Sebaſtianus a REHLINGEN, in *Schlüpſen* pago haud procul *Auguſta* diſſito, perantiqua & inclytiſſima inter *Auguſtanas* gente patritia ortus eſt (*a*). Geni-

(*a*) De celeberrima hac gente patritia videri poterunt Perilluſtr. *D. Paulus a* STETTEN *junior* in *Hiſtorie der adelichen Geſchlechter der Reichs - Stadt Augſpurg*, *p.* 87. &, quos hic citat, Scriptores. Idem Perilluſtr. Auctor *Noſtrum l. c. p.* 91. inter claros *Rehlingerianæ* ſtirpis Viros nominatim laudat. De hac ipſa patritia gente, ſive de iis, qui ex *Rehlingerorum* proſapia, relicta vicina *Bavaria*, *Auguſtam* commigrantes, ibi domicilium fixerunt, copioſe quoque ſcripſit, *Clemens* JAEGER in Opere anecdoto: *Von Ankunſt des uralten adelichen Geſchlechts der H.H.* REHLINGER, *jeziger Zeit in Augspurg.* in quo legitimam generoſamque originem illorum, adverſus quosdam illorum temporum Obtrectatores, ſtrenue defendit. Operæ pretium me facturum eſſe arbitror, ſi nonnulla ex hoc Opere in medium proferam: *Daſ die erſten H. H.* REHLINGER, *Conrad*, *Ulrich und Peter genannt*, *H. Greimwolten von* REHLINGEN *ehliche Söhne geweſen, in die Stadt Augspurg ſich verheurathet haben, ſolches bezeugen eines E. Raths alte Steuer - Bücher: dann ſie daſelben befunden; und mag dem mit keiner Wahrheit widerſprochen werden.* Et alibi: *Dann gewiß und wahr iſts, daſ die H. H.* REHLINGER, *in der Stadt Augſpurg wohnhaft, eben von dem Geblüt, Stammen und Nahmen der alten Herren von* REHLINGEN *und Scherneck ehlichen erbohren ſeyn, und ſich zu ehrlichen Geſchlechtern in diſe Stadt Augſpurg* verheu-

Genitorem habuit *Chriſtophorum* REHLINGERUM, Conſulem *Auguſtanum*, ſummum ærarii caſtrenſis Præfectum (*b*) itemque Sermi Epiſcopi *Friſingenſis* Conſiliarium; genitricem vero *Urſulam* TRIENERIN *Friſingenſem*, matrimonii vinculo ſibi invicem anno 1618. die 22. Januarii (*c*) ſociatos.

H 4 Horum

verheurathet haben. Dann nachdem ... vielerley verderbliche Krieg ſich am Lech - Rain erhoben, da hat H. Greimwolt von REHLINGEN *ſein Schloß, Dorf, und Güter Rehlingen und Scherneck befriden wollen, und ſich zu einem E. Rath verbunden, auch dem Rath ſein Schloß zu einem offnen Hauß gemacht, wie dann der verſigelt Pack - Brieff, ſo noch vorhanden, ſolches klar ausweiſet; welches er gut zu thun gehabt, dieweil H. Rüdiger* LANGENMANTEL, *vielmahl Stadtpfleger, und H. Heinrich* PISTER (melius PFISTER) *des Raths, und ſeine Tochtermänner geweſen. Zudem als H. Greimwolt von* REHLINGEN *mit Tod verſchieden, und ſein Schloß und Dorf Rehlingen ſeinem Sohn Hannß von* REHLINGEN *verlaſſen, welcher daſſelbig Gut, auf daß er ſeine Brüder Conrad, Ulrich und Peter, die* REHLINGER, *welche ſich in die Stadt Augſpurg verheurathet hatten, ihren gebührenden Theil bezahlen möcht, verkauffen muſte, und nachdem er einen Sohn, auch Hannß genannt, ehlichen erzeuget, bald mit Tod verſchiden; da hat H. Peter* REHLINGER, *ſein Vetter, denſelben jungen Hannß* REHLINGER *zu ihm genommen und erzogen, bis daß er im Krieg iſt erſchlagen worden &c. &c.*

(*b*) Hunc *Chriſtophorum* REHLINGER (verius *Sebaſtianum Chriſtophorum*, uti habent duo Apographa Libri anecdoti: SCHELLENBERG *Hochzeit - Regiſter*) anno 1621. in Senatum adſcitum, anno vero 1630. fatis perfunctum eſſe tradit *David* LANGENMANTEL *Hiſtorie des Regiments in der Reichs - Stadt Augſpurg.*

(*c*) Teſtantur hoc duo Apographa Libri anecdoti: SCHELLENBERG *Hochzeit - Regiſter*, in Bibliotheca *FF.* VEITHIORUM extantia, ubi *Sebaſtianus Chriſtophorus*, pater *Noſtri*, anno 1630. mater ejus vero 1628. ſupremam diem obiiſſe dicuntur. Ceterum mater *Noſtri* ibi

non

Horum filius unicus, *Noſter*, anno 1622. primam lucem aſpexit, eximiis & animi & ingenii dotibus, larga divini Numinis beneficentia, ditatus. Sacro fonte dum abluebatur, nomen *Bernardi Chriſtophori* accepit, quod, poſtquam adoleviſſet, Canonicorum regularium *S. Auguſtini* inſtitutum in Auguſtano *S. Georgii* cœnobio anno 1640. ſolenniter profeſſus, nomine *Sebaſtiani* commutavit (*d*).

Abſoluto ad *S. Annam*, *Auguſtæ*, quæ ſchola eo tempore a Patribus *Societatis Jeſu* regebatur, curſu philoſophico, anno 1643. *Romam* in Collegium *S. Apollinaris*, ſublimioribus ſcientiis imbuendus, volentibus Superioribus abiit, ſtudiisque ibidem perfunctus, *fertiliſſimo quarumvis ſcientiarum theſauro comparato*, domum remeans, quod urbs patria a *Gallis* & *Suecis* duriſſima obſidione premebatur, in *Tyroli* ſubſiſtere anno 1646. coactus, in eo comitatu parochiam, a pago *Collmann* nuncupatam, *inſigni cum laude quadriennii ſpatio adminiſtravit.* Poſtea *domum adſcitus*, *Parochus*que ſimul ac *Decanus* anno 1650. renunciatus *libris conſcribendis ſeſe totum impendit*, *Vir paſſim doctiſſimus ab omnibus conclamatus*; usque dum anno 1664. die 13. Decembris in *Præpoſitum* electus, Collegii ſui habenas moderandas ſuſcepit. Verum iisdem, cum ob ſiniſtram corporis valetudinem iſti muneri ferendo ſeſe minus parem eſſe ſentiret (poſt reſtauratam, quam Vulcanus abſumpſerat, *Præpoſituram*, & alia in monaſterii emolumentum moliri coepta, *Collegium*que novis vitæ religioſæ ſurcu-

non *Trienerin*, ſed enim *Thomerin*, vel *Dommerin* appellatur.

(*d*) Ita habet Perilluſtr. *Paul. a* STETTEN *junior l. c. pag.* 91.

ſurculis auctum) ultro ac ſponte anno 1670. die 30. Maii, feria 6. poſt Pentecoſtes feſtum dimiſſis, *reliquo vitæ tempore* ſacros Sermones in *Tyroli* & *Auguſtæ* a ſe habitos induſtrioſe *collegit*, *collectosque in* 4. *Dominicalia* (ut ajunt) & 2. *Feſtivalia diviſit*: *quorum primum Dominicale*, *primumque Feſtivale typis vulgatum eſt*, *ceteris adhuc lucem publicam exſpectantibus*. *Quin etiam duobus poſtremis vitæ ſuæ annis* parochiæ *San-Georgianæ* rurſus præfectus, *ſub curæ animarum officio laudabili zelo ſuccubuit*, *portum æternitatis ſubiens anno* 1679. die 27. Septembris. *Corpus exanime in Eccleſia ante ſummum altare*, *ex cornu Epiſtolæ*, *juxta duos ſuos RRmos Anteceſſores terræ mandatum eſt* (*e*).

Hactenus dictis adſuere libet, quæ de *Noſtro* affert parvum *Chronicon MSStum Monaſterii San-Georgiani* vernaculum, extans in noſtra *FF.* VEITHIORUM Bibliotheca:

„ *Sebaſtianus* REHLINGER, Patritius Auguſta-
„ nus,der 32. Probſt iſt erwöhlt worden Ao. 1664.
„ Diſer Probſt nach vollendtem Novitiat und ab-
„ ſolvierter Philoſophie bey *St. Anna* allhier wur-
„ de von ſeinen Vorſahrer auf *Rom* ad *Collegium*
„ *Germanicum* in die Theologie geſchickt, von
„ wannen er den Leib des H. Martyrers *Caſulii*

H 5 „ mit

(*e*) Narrant iſta tum *P. Corbinianus* KHAMM in *Hierarch. Auguſt. P. II. colleg. p.* 340. & *P. III. regul. pag.* 415. tum *Franciſcus* PETRI in ſua *Germania Canonico-Auguſtiniana*, quam vide in *Collectione Scriptorum Rerum hiſtorico-monaſtico-eccleſiaſt. Tom. III. pag.* 142. Verum bini hi Auctores male admodum in annis computandis inter ſe conveniunt; ob eam rem modo hunc, modo illum ſequi præplacuit, prout alter altero veriora magisque quadrantia afferre viſus eſt.

„ mit ſich gebracht, welcher nunmehro in un-
„ ſerm Gotteshauſs offentlich venerirt wird. Wa-
„ re lange Zeit theils in *Tyrol*, theils *hier* ein ei-
„ friger Pfarrverweſer und Prediger. Lieſs auch
„ Predigen auf alle Sonn- und Feyrtäg in Druck
„ ausgehen. Reſignirte Ao. 1670. Iſt geſtorben
„ Ao. 1679. und bey dem Chor-Altar begraben
„ worden. "

Laudatur nomen *Noſtri* a RRmo *Franciſco* Præpoſito *Pollingano*, in *Elencho onomaſtico Scriptorum Ord. Cann. Regg. S. Auguſtini.*

De doctis Noſtri laboribus eorumque fato ſuperius dictum eſt. Prælo vulgatos vidi meis oculis ſequentes:

I. *Chriſtlicher Wegweiſer in das himliſche Vatterland, oder chriſtliche Predigen über alle ſonntägliche Evangelia. Erſter Theil.* in 4o. *Nürnberg.* 1696.

II. *Himmelſtraß aller Heiligen, und Auserwählten, oder chriſtliche Predigen auf alle feſt- und feyertägliche Evangelien... 18. Jahr auf der Canzel vorgetragen: nunmehro aber... in die Ordnung geſetzt &c.* in 4. *Ibidem.* 1697.

De reliquo fuit *Noſter*, *Vir humanioribus pariter ac altioribus ſcientiis haud leviter tinctus*, teſte KHAMMIO in *Hierarch. Auguſt. P. II. colleg. p.* 340. *opum dives, zeloſus divini verbi præco, cultus divini in choro ſolennius agendi auctor, humanus & liberalis in omnes.*

SCHRECKENFUCHSIUS (*Alexander*)

Auguſtanus, a quo vidi in Bibliotheca cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* ſequens Opus:

Diſpu-

Diſputatio de Juris utriusque Titulis: De Judiciis, *ſub præſidio D. Joannis a* DRIESCH *J. V. Doctoris defenſa.* in 4to. *Wirceburgi.* 1607.

Dicavit hanc Opellam Noſter *Laurentio* SCHRECKENFUCHSIO, in *Friburgenſi* (*a*) *Brisgoiæ* Univerſitate Matheſeos Profeſſori, Patruo ſuo. Inter alia teſtatur, ſe necdum bimulum, patre amantiſſimo orbatum, multas novercantis fortunæ injurias perpeſſum eſſe.

(*a*) Fuit is *Eraſmi Oswaldi* SCHRECKENFUCHSII, Mathematici nemini ſecundi, Profeſſorisque Friburgenſis multo celeberrimi, filius & in docenda Matheſi Patris ſucceſſor. Laudem ei, inter *Inſcriptos Academiæ Ingolſtadienſis*, ad annum 1574. dicunt *Annales* ejusdem *Academiæ*, a *Jo. Nep.* MEDERER editi, *Tom. II. p.* 14.

SCHRECKENFUCHSIUS (*Joann. Bartholomæus*)

Auguſtanus, Clauſtri *Lauretani* in *Reittberg* Sacerdos. Ab hoc vidi in Bibliotheca Collegii quondam *Societatis Jeſu* ſequentem Libellum, minime indoctum, & ſingularis plane argumenti:

I. *Vindiciæ ſanctitatis & opulenti ſtatus Paſtorum, qui Chriſtum Salvatorem, in Bethlehem natum, inviſerunt.* in 12o. *Ingolſtadii.* 1623. (*a*)

In Dedicatione, quam ad *Petrum* WAHL (*b*) SS. Theolog. Doctorem, D. *Henrici* epiſcopi *Auguſtani*, in Pontificalibus & Spiritualibus Vicarium generalem, Decanum collegiatæ Eccleſiæ ad *S. Mauritium*, *Auguſtæ*, dedit, in hæc verba loquitur: *San-*

(*a*) Confer *Theoph. Georgii* B*ücher* - *Lexicon. fol.*

(*b*) De Viro hoc *raræ ſcientiæ*, *prudentiæ*, aliarumque virtutum laude claro, & geſtis ab eo muneribus vide *P. Corb.* KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedrali*, *p.* 507. ubi etiam ejus epitaphium fuſe proponitur.

Sanctitatis inſignibus fulgidiores redditi , & ſchemate , quam hactenus, cultiore phæcaſiati Paſtores Bethlehemitæ tuas , Antiſtes digniſſime ! fores pulſant : primum id faciunt a me hoc edocti , huc adducti. Primitias namque lucubrationum mearum latinarum Auguſtano *cuidam ſyderi exhibere* Auguſtanus *civis volui , quo irradietur magis....*

De reliquo dum ait : *Primitias lucubrationum mearum latinarum* , innuere videtur , ſe prius nonnulla germanica aut vulgaſſe , aut de vulgandis ſaltem cogitaſſe. Horum autem nihil ad manus meas venit.

VANNIUS (*Udalricus*)

Auguſtanus , *Conradi* PEUTINGERI , magni illius , totoque orbe celebratiſſimi Jureconſulti , quo aut amico aut patrono omnes , quotquot illa ætate ſive eruditionis laude floruerunt , ſive optimis diſciplinis navarunt operam , uſi ſunt , ſingularem in ſe benevolentiam expertus , vixit ſæculo XVI. Ab eo inveni in Bibliotheca *Collegii* quondam *Societatis Jeſu* , *Auguſtæ* , ſequentia opuſcula manuſcripta :

I. *Deſcriptio amœniſſimi Spectaculi variique generis in celeberrima imperialique urbe Auguſta peracti pro honore conſultiſſimorum Dominorum ejus urbis Senatorum , carmine elegiaco edita. Anno* 1509. (*a*)

II. Carmen *de Poetarum jactura* , hoc initium præferens : *Ad ſpectatiſſimum D. Conradum* PEYTTINGER *J. V. Doctorem de Poetarum jactura....*

Topo-

(*a*) De his Ludis conſuli poteſt Perilluſtr. *Paulus a* STETTEN *ſenior* : *Geſchichte der H.R. Reichsſtadt Augſpurg, Tom. I, p.* 267. & , quos hic citat ibidem , Auctores.

Topologia ſaphica hendecaſyllaba ex Adonico dimetro. Ab Udalrico VANNIO *Auguſtano edita.* Incipit:

„ Aureis luxit radiis Apollo. &c.

In hoc Carmine *Noſter* , inter alias PEUTINGERI laudes , ejus erga ſe humanitatem hiſce commendat:

„ Unus præ cunctis ſupereſt *Patronus*;
„ Huic rogo vitam tribuas perennem,
„ O Deus! longos meruit videre
„ Neſtoris annos.
„ Tolle *Conradum* placido favore
„ PEYTTINGER - - - - - -

& poſt pauca addit:

„ Gratias tantum ſupereſt agreſti
„ Maximas nobis agere hac Thalia
„ Pro tuis tantis meritis , *amico*
„ *proque favore.*

Adſcriptus ad calcem eſt annus 1509.

III. Epiſtolium ſat prolixum , quod inſcripſit: *Eximio tam pontificii quam cæſarei Juris Interpreti, Divi Imperatoris a Conſiliis* (*b*) *Auguſtanæque Urbis Oratori famatiſſimo D. Conrado* PEUTTINGER *Vdalricus* VANNIUS *Auguſtanus omni ſubmiſſo obſequio ſalutem ac foelicitatem* : *ſeque commendat.* Incipit: *Solebant veteres illi Rhomanorum ephæbi* &c. In hoc quoque Scripto PEUTINGERI ſingularem in ſe benevolentiam prædicat , aiens: „ Non etenim „ ut tuam poſſit Dignitatem delectare (hoc) ſcribi„ mus ;

(*b*) Adverte, *Conrad.* PEUTINGERUM jam anno 1509. Cæſaris *Conſiliarium* extitiſſe. Immo jam anno 1503. hoc honoris nomine eum decoratum fuiſſe , inveni in epigraphe cujuſdam *Epiſtolæ* , vernaculo ſermone ad illum *Ulyſſipone* hoc anno ſcriptæ; quæ in Bibliotheca *Collegii* quondam *Societatis Jeſu* extat.

„ mus ; ſed ut noſtram erga te obſervationem con-
„ venientiori, quo fieri potuit, modo manifeſtare-
„ mus. Quippe, Doctor magnanime! quapiam
„ fortaſſis in me pullulante ductus indole (qua uti-
„ nam non fruſtrere) *puello adhuc mihi*, *primum*
„ *vix Septenarium egreſſo*, *caſtæ Latinitatis prin-*
„ *cipia contuliſti ;* e quibus quidquid emolumenti
„ conquiſiverim, omne id tibi, *Præceptor jucun-*
„ *diſſime* ! acceptum referam. " Tandem in hæc verba finit : „ Reliquum mihi eſt oblongo huic
„ *Epiſtolio* extremam manum imponere, quod di-
„ urni circuli curriculo raptim editum Præſtantiæ
„ tuæ conſecro *valedictionis* loco. Quod ſi *deditiſ-*
„ *ſimi diſcipuli* rudimenta non aſpernabere, brevi
„ ex *Viennenſi paleſtra* plura videbis. Interea tu
„ & me & *fratrem*, noſtraque rudimenta boni con-
„ ſule. Vale ! Ex Auguſta, tercio Nonas De-
„ cembr. Anno virginei partus 1509. "

IV. *Noſtri* & *Joann.* FRUTICENI, juvenum adhucdum, *Diſticha* ad *Blaſium* HOELZELIUM Cæſaris *Maximiliani* I. Conſiliarium, typis excuſa extant (*c*) ; ex quibus colligi poſſe videtur, *Noſtro* rem oppido arctam curtamque fuiſſe ; hinc, cum miro in litteras amore duceretur, HOELZELII, communis ea ætate Doctorum fautoris, patrocinium ſibi expoſcit. *Diſticha* hæc ſunt :

„ *Jo.* FRUTICENUS, *Udalricus* VANNIUS, Juvenes,
„ Blaſio HOELCELIO.

„ Jam tempus natale tuum, natalia Feſta
„ Quum celebres, *miſeris* quæ *pia dona* dabis ?
„ Non

(*c*) In Libro : *Complurium eruditorum Vatum Carmina ad magnificum Virum Blaſium* HOELCELIUM &c. 4°. *Aug. Vindel.* 1518.

„ Non cupimus gemmas, non auri ſplendida fulvi
„ Munera ; *fac tantum ſæpe petita prius* ,
„ *Palladis ut liceat doctas incumbere in artes.*
„ Si non nos, Superi præmia digna ferent. "

V. *Carmen heroicum de Paſſione Chriſti*, impreſſum in 4to. 1512. Charta una & dimidia (*d*).

(*d*) V. *Joſ.* SIMLERI *Biblioth. p.* 365.

VELSERIA (*Margarita*)

Primam lucem aſpexit *Margarita* noſtra, anno 1481. die 19. Martii, nata parentibus *Antonio* VELSERO Præfecto *Memmingenſi* & *Catharina* VOEHLINIA, eo majori jure locum ſibi in hac *Bibliotheca Auguſtana* (*) vendicans ; quod eximiæ virtutis, exempli ſingularis, & inuſitatæ in altero ſexu doctrinæ fœmina exſtiterit; quæ, præterquam quod natalium ſplendore, & avita *Velſeriæ* gentis gloria commendetur, virtute inſuper ac eruditione (quas utpote non adſcititias & aliunde ſumptas, ſed proprias quaſi congenitasque dotes quivis prudens ſuſpicere ſolet maxime) eximiam, nec ullo intermorituram tempore famam conciliare ſibi neutiquam omiſit (*a*).

Capa-

(*) Dum hoc loco *Margaritam* VELSERIAM laudo, nihil audeo, præterquam quod fas ſit ; poſtquam *Hieronymus Andreas* MERTENSIUS *Epiſtolam Noſtræ ad Chriſtophorum fratrem*, usque ad id temporis anecdotam, publici juris fecit, ſub finem dictæ *Epiſtolæ* addens : *Denique hac Epiſtola edenda operam dedimus, ut Margaritæ* VELSERIÆ *nomen, quod ſingulari fato hucusque ignotum fuit, doctarum fœminarum catalogis celebretur.*

(*a*) Hæc omnia confirmata habes in *Hiſtoria Vitæ atque Meritorum Chuonradi* PEUTINGERI, a me *poſt Jo. Georg.* LOTTERUM *novis curis illuſtrata. Aug. Vindelic.*

in

Capaciſſimum a natura ingenium nacta, junior adhuc, illud indefeſſa induſtria ita excoluit ac perpolivit, ut non ſolum linguam latinam, litteraſque humaniores apprime teneret, ſed etiam ſeveriora ſtudia (quod rarum in fæminis maximeque inſolitum eſſe, experientia commonſtrat) multo cum profectu tractaſſe videatur: cujus rei indubitato argumento eſt Opus antiquarium *Noſtræ*, quod promeritis laudibus inferius a me celebrabitur.

Interea adultior facta & ad nubilem progreſſa ætatem, cum præclaris naturæ ac ingenii, quibus enitebat, dotibus *Chuonradi* PEUTINGERI Juriſconſulti graviſſimi, & per totam late Europam ea ætate tum doctrinæ fama, tum bonarum litterarum ad priſtinum decus revocandarum ſedulo ſtudio celeberrimi, oculos animumque in ſe convertiſſet, ab eodem in conjugem lecta, annoque 1498. VI. Kalendas Januarii domum ducta eſt, uti thori, ſic & ſtudiorum conſors futura. Fortunatum hoc omni ex parte conjugium fuiſſe, miraque concordia animorum ac caritate mutua ab utroque cultum, plurima inſigni ſunt argumento, præſertim numeroſa ſoboles, qua feliciter auctum ſe vidit Par iſtud nobiliſſimum: cujus ſuaviſſimam conjunctionem exorari, eheu! neſcia fati inclementia anno 1547. triſtiſſima ſciſſura diremit, erepto e vivis hoc anno, ad diem V. Kalend. Decembris, *Chuonrado*. Parentavit *Noſtra* conjugi dulciſſimo mærore ſummo, poſito eleganti *Epitaphio* memoriam nominis ejus conſecrans; quem depoſitis mortalitatis exuviis ipſa ſecuta eſt anno 1552. die 7. Septembris (*b*).

Reli-

in 8°. 1783. *pag.* 23. 32. *&* 33. Confer Librum: *Das Univerſal-Lexicon. Leipzig. Tom. LIV. pag.* 1624.

(*b*) De his omnibus videſis mox citatam *Hiſtoriam &c. pag.* 23. 46. 47.

Reliquit *Margarita* noſtra inſigne ingenii ſui, & reconditioris doctrinæ monumentum, genus quoddam *antiquarii Operis*, quod PEUTINGERUS *Collectanea* (*c*): *Michael* autem HUMMELBERGIUS in Epiſtola reciproca ad PEUTINGERUM (*d*) *Epitomen de vetuſtatis monimentis* nuncupare voluit. Scripſit autem *Margarita* noſtra *Collectanea* hæc *diligentia ac manu ſua, auxilio quoque conjugis ſui* ad D. *Chriſtophorum* VELSERUM, de quo inferius peculiari *Paragrapho* a me agetur, *Juriſconſultum, Eccleſiarum Ratisbonenſis & S. Stephani Bambergenſis Præpoſitum, Scriptorem Apoſtolicum, fratrem ac præceptorem obſervandum*, eademque illi, *Romæ* commoranti, *ex gynæceo ſuo anno* 1511. *Kalendis Juliis, dono miſit*, ut, ſi digna publicatu viderentur, ea frater *in Urbe typis excudi curaret.* Cauſſam illorum conſcribendorum captavit *Noſtra* ex *Satyra* germanice in adulteros a *Georgio* EMSERO *ſacerdote, eruditione & vitæ integritate præſtanti, Georgio Saxonum Duci a ſecretis Epiſtolis*, edita, & *Chuonrado* PEUTINGERO pro *ſingulari*, quam mutuo inter ſe colebant, *amicitia muneri miſſa*, in qua cum EMSERUS, *viris eruditis nubentes fœminas inquietari plurimum, & quaſi coactas vigilare noctem... ſic conjugali ſervituti, prope incommodæ, adſtrictas eſſe* aſſereret, eum *Noſtra* in *Præfatione* prolixe confutandum ſuſcepit (*e*). Conſtant *Colle-*

(*c*) Conſule PEUTINGERI *Epiſtolam* ad eaſcem laudatæ *Hiſtoriæ &c. p.* 148.

(*d*) Vide HUMMELBERGII *Epiſtolam*, *l. c. p.* 149.

(*e*) Confer ipſa *Margaritæ* VELSERIÆ *Collectanea*, ſed *Epiſtolam* a Cl. Viro *Hieronymo Andrea* MERTENSIO, Scholæ Annæanæ Rectore, *Auguſtæ*, 1778. in 8o. editam, ſub initium ac finem. Item *Hiſtoriam Vitæ ac Meritorum Ch.* PEVTINGERI. in 8o. *p.* 110. & *ſeqq.*

Collectanea hæc, ſi Præfationem connumeres, capitibus *viginti novem*: maximamque laudem ſtatim ea, qua confecta fuere, ætate a *Michaele* HUMMELBERGIO tulerunt; cui illa *Conradus* PEUTINGERUS examinanda & accurato judicio ponderanda ſubmiſerat (*f*).

Quamvis autem *Collectanea* hæc & HUMMELBERGIO, & haud dubie ipſi *Margaritæ* noſtræ fratri germano, *Chriſtophoro* VELSERO, ad quem ſcripta fuerunt, magnopere probata fuerint; tamen eisdem in publicum prodire prelo excuſis (nam *Velſeriæ* conſilium de iis *Romæ* vulgandis exitum habuiſſe nullibi hucusque (*g*) deprehendere potui) usque ad noſtra tempora non licuit; quibus illa tandem *Hieronymus Andreas* MERTENSIUS, Scholæ Annæanæ, *Auguſtæ*, Rector, ab annis plus CCL. tenebris & caligine involuta in lucem primus eduxit, hoc titulo:

Margaritæ VELSERIÆ, *Conradi* PEUTINGERI *conjugis, ad Chriſtophorum fratrem Epiſtola multa rerum antiquarum cognitione inſignis. Quam primus typis exſcribendam curavit Hieronymus Andreas* MERTENS *Ph. & B. A. M.* Διδασκαλειου *Auguſtani Rector & Bibliothecarius publicus.* in 8°. *Auguſtæ Vindel.* 1778.

Ceterum de hac re plura cognoſſe ſi cupis, Lector! conſule *Hiſtoriam Vitæ ac Meritorum* *Chuon-*

(*f*) Vide de hac re PEUTINGERI & HUMMELBERGII *Epiſtolas* reciprocas, ad finem ſæpius allegatæ *Hiſtoriæ Vitæ atque Meritorum Chuonradi* PEUTINGERI. *pag.* 148 — 153. quas hoc loco repetere ſupervacaneum reputo.

(*g*) Conſentit mihi *Hieronym. Andreas* MERTENSIUS, primus editor horum *Collectaneorum*, aut (ſi mavis) *Epiſtolæ*.

Chuonradi PEUTINGERI a me *poſt Jo. Georg.* LOTTERUM *novis curis illuſtratam.* 8o. *Auguſtæ.* 1783. tum in *Præfatione*, tum *pag.* 111. & 112. ubi me quoque conſilium hujus Operis ſeu *Epiſtolæ* edendæ animo verſaſſe quam maxime, aliaque intelliges, quæ loco hoc repetere nolo, ne antiqua recoquere videar.

VELSERIA (*Philippina*)

Notius eſt *Philippinæ* VELSERIÆ nomen, quam ut a quopiam, Hiſtoriarum patriæ non omnino rudi, ignoretur. Facit hoc, ut mihi in rebus ejus deſcribendis breviori eſſe liceat; præcipue cum ex inſtituti mei ratione, quæ ſunt cujuslibet litteraria, narraſſe ſufficiat.

Orta eſt *Philippina* parentibus *Franciſco* (non *Antonio*, ut a quibusdam Scriptoribus perperam traditum eſt) VELSERO (*a*) Barone *a Zinnenberg* & *Anna* ADLERINA, atque a teneris unguiculis egregia matris inſtitutione ad omnem probitatem ſedulo conformata (*b*); adeo, ut, poſtquam adoleviſſet, inter primas ſui ſexus, propter eximias animi dotes, connumerari meruerit: quibus ipſis

 mirum!

(*a*) De Gente *Velſeria*, & nominatim de *Franciſco* VELSERO vide Perilluſtris *Pauli a* STETTEN *junioris Geſchichte der adelichen Geſchlechter der Reichs - Stadt Augſpurg*, in 4to. *pag.* 95. 97. *Chriſtoph.* ARNOLDUM in *Vita Marci* VELSERI, ante ipſa VELSERI *Opera. Norimbergæ.* 1682. in *folio* excuſa. Perilluſtris *Pauli a* STETTEN *junioris Geſchichte der Reichs - Stadt Augſpurg*, *Tom. I. p.* 466. Item *Pauli a* STETTEN *junioris*, ſuperius citati, *Erlauterungen der in Kupfer geſtochenen Vorſtellungen aus der Geſchichte der Reichs - Stadt Augſpurg*, *pag.* 118.

(*b*) V. *Pauli a* STETTEN *junioris Erlauterungen &c*, *pag.* 118. *Chriſtoph.* ARNOLDUM, *l. c. pag.* 13.

mirum ! quantum ſplendoris ac gratiæ inſolita pulchritudo ſingularisque oris venuſtas adjecit (*c*). Hinc, cum anno reparatæ ſalutis 1547. vigeſima die Octobris *Ferdinandus* Rex Romanorum *Auguſtam* veniſſet, Comitiis Imperii interſuturus: ſecumque filium Archiducem, itidem *Ferdinandum* ex patre vocatum, adduxiſſet; is viſa fortuito anno 1548. *Philippina*, tanto illius amore exarſit, ut quieſcendum ſibi prius non putarit, quam eam thoro ſecum ſociaſſet. Perbelle, quæ hactenus de præclaris tum animi, tum corporis dotibus, quibus *Philippina* plurimas antecelluit, dixi, confirmant ſequentia *Georgii* RONERI Juris - Conſulti, jam dicti *Archiducis* Conſiliarii, verba (*d*): *Poſtquam pubertatis annos eſt egreſſa, tam mira & eximia fuit pulchritudine, tamque excelſo animo, & tam ſingulari prudentia, tantisque laudibus probitatis, pudicitiæ & modeſtiæ ornata, ut maximus Reipublicæ chriſtianæ Princeps, ſereniſſimus D. Ferdinandus, Archidux Auſtriæ, eam ſibi matrimonio copulare non dubitaverit.* Et iterum ait: *Si ad exteriores corporis dotes quis reſpicere velit; quis non illam inſignem & admirandam pulchritudinem corporis celebravit? quis non in Principe noſtra plus quam heroicam totius corporis ſpeciem, procul etiam Principiſſam oſtentantem, laudavit? quis non eximiam illam & decentiſſimam proceritatem, & ſtaturam talem, qualis tantam Principiſſam decet, prædicavit? quis*

non

(*c*) V. ***Pauli a*** STETTEN ***junioris Erlauterungen &c.*** ***pag.*** **118. 119.** Item ***Pauli a*** STETTEN ***ſenioris Geſchichte der Reichſtadt Augſpurg, Tom. I. p.*** **466. 631.**

(*d*) Vide Ejus ***Orationem in obitum SSmæ Principis ac Dominæ Philippinæ &c. &c.*** Impreſſit *Valent. Schönigk, Auguſtæ Vindel.* **1580.** ***Das groſſe Univerſal - Lexicon. Leipzig. Tom. LIV. p.*** **1618.**

non inſignem capitis honorem, quis vividum oculorum vigorem, regiam oris dignitatem, cum amabili quadam venuſtate pariter ac majeſtate temperatam, ſumma cum jucunditate non inſpexit? ut mihi plane in hanc Principem noſtram omnia naturæ, mentis, & corporis bona congeſta, meritoque illa vel ſereniſſimis Reginis ac Principiſſis, D. Eliſabethæ, quæ regi Daciæ potentiſſimo: D. Mariæ, quæ Hungariæ regi Ludovico nupta: D. Leonoræ, quæ Luſitaniæ regi copulata: imo etiam beatæ Eliſabethæ Hungariæ reginæ, quæ Comiti provinciali Thuringiæ matrimonii lege juncta fuit, conferenda eſſe videatur. His addimus unum *Martini* CRUSII teſtimonium (*e*) de *Philippina* noſtra ſcribentis: *Illuſtriſſima Herois, cujus incomparabili pulchritudine captus SSmus Archidux Auſtriæ Ferdinandus anno* 1548. *in Comitiis Auguſtanis, conjugio ejus carere non potuit.* Nuptias vero iſtas, Genti *Velſerianæ* glorioſiſſimas, anno 1550. contractas fuiſſe, monet *Paulus a* STETTEN *ſenior* (*f*). Verum cum hæc omnia iis, quorum intererat, inſciis, & clam ſereniſſimo parente *Ferdinando* geſta eſſent (quod exiſtimatu facile eſt) ambo in graviſſimam ac diuturnam Principis offenſionem incurrerunt, adeo ut ne conſpectum ejus quidem ſubire illis liceret, præſertim VELSERIÆ noſtræ, cui primum poſt longa temporum ſpatia (anno ſcilicet 1558.) patris *Ferdinandi* gratiam obtinere contigit; poſtquam, ex aulæ procerum ſuo nomini devotorum conſilio, alienis veſtibus ſumptis, aliam ſe ſimulans, libellum

I 3 ſuppli-

(*e*) In *Annal. b. Suevic. Dodec. III. pag.* 773.

(*f*) In *Hiſtorie der Reichs-Stadt Augſpurg, Tom. I. pag.* 466. Confer *Joann. Jacob.* FUGGERI *Oeſterreichiſcher Ehren-Spiegel, Nürnberg.* 1668. *pag.* 1395. 1408.

ſupplicem Principi obtulit, cauſſamque ſuam ac conjugis ſui tantis prudentiæ & facundiæ illecebris egit, ut, exorata erroris venia, auguſtiſſimi parentis diu ſuſpiratam gratiam, benevolentiamque ſibi conciliarit (*g*).

Procreati ex eo conjugio filii duo; quibus tamen non *Archiducum Auſtriæ*, ſed ſolo *Marchionum Burgaviæ* titulo uti conceſſum. Nomen uni *Andreæ*, alteri *Carolo* fuit: *Andreas*, eccleſiaſticum amplexus ſtatum, *cardinalitia* dignitate effulſit; *Carolus*, poſt patrem *Marchio Burgaviæ* factus, nullis Liberis relictis, vita deceſſit (*h*).

Sed ad *Philippinam* redeo. Hæc, tantis dignata honoribus, minime altiores animos ſumpſit, ſed ea, quam adepta fuerat, celſitudine in Proximi, maxime egenorum bonum utilitatemque ſibi utendum eſſe credidit: &, priſtini tenax moris, manſit (ut laudatus RONERUS ait) *excelſo animo, prudens, proba, pudica, rerum divinarum ſtudioſa, humilis. Summo ſtudio ægrotos inviſit, aut inviſendos curavit: ſæpius laborantibus e partu fœminis adfuit: eleemoſynas egentibus largiſſime diſtribuit: & ut pauperibus morbo conflictatis majori cum fructu ſuccurreret, proprium habere myropolium voluit, unde in illorum ſublevamen apta medicamenta depromeret.* Atque hoc poſtremum chriſtianæ pietatis obſequium eo magis commemorandum mihi duco,

(*g*) V. Perilluſtris *Paul.* a STETTEN *junioris Erlauterungen &c. &c. pag.* 119.

(*h*) Vide *Mart.* CRUSIUM in *Annal. Suevic. l. c. Paulos* a STETTEN *ſeniorem* ac *juniorem ll. cc. Chriſtophorum* ARNOLDUM *l. c. pag.* 12. 13. 17. *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon. Baſel.* in folio. V. *Andreas ab* AUSTRIA; de quo ipſo plura invenies apud *Alphonſ.* CIACONIUM in *Vitis Pontific. & Cardinal. Tom. IV. p.* 49.

duco, quo clarius inde apparet, quæ cauſſa *Philippinam* adduxerit ea congerere, quæ congeſta poſt ſe moriens reliquit; uti inferius dicetur.

Convixere autem Archidux *Ferdinandus* & *Philippina* integros 30. annos (*i*) mutua charitate, quam ſolam connubii eorum conciliatricem fuiſſe cognovimus, flagrantes, & jucundis fruentes amoribus; quos tamen poſtremis annis nonnullæ corporis infirmitates (*k*) interturbaſſe videntur.

Devenimus ad annum a Chriſto nato MDLXXX. qui ipſe *Philippinæ* fatalis fuit. Morbum ejus extremum, vitæque exitum his verbis perſcripſit RONERUS, jam bina vice laudatus: *Quam provide & chriſtiane SSma Domina noſtra mortua ſit, breviter perſtringemus: neque proferemus in medium, niſi quæ* ex hominibus fide dignis *accepimus. Cum igitur* 14. *die Aprilis piiſſima Princeps ægrotare inciperet, ac* 23. *die dicti menſis Aprilis adverſa valetudo magis magisque augeretur, deceſſit infra* 4. *&* 5. *horas pomeridianas, die* 24. *menſis Aprilis, in die Dominica, qua celebratur Feſtum S. Georgii Marty-*

I 4 *ris*,

(*i*) V. Perilluſtris *Pauli a* STETTEN *junioris Erlauterungen &c. p.* 119.

(*k*) Documento hujus rei eſt Codex, quem *Petrus* LAMBECIUS in *Comment. de Bibliotheca Cæſar. Vindobon. Libr. II. p.* 703. Editionis abs *Adamo Franciſco* KOLLARIO adornatæ, memorat verbis ſequentibus: „ *Georg.* „ HANDSCHII Diarium medicum, quomodo *Philippina* „ VELSERA SSmi Archiducis Auſtriæ Oenipontani, *Ferdinandi*, conjux thermis *Carolinis* in *Bohemia* Ao. 1571. „ menſe Septembri uſa ſit: Item Diaria nonnullorum „ morborum, & quidem præcipue calculi, quos iidem „ jam memorati Principes *Ferdinandus*, & *Philippina* diverſis temporibus usque ad annum 1575. perpeſſi ſunt. „ *Chartaceus*, in 4o. “

ris ; anno ſalutis humanæ 1580: (*l*). De exſequiis vero ſequentia narrat : *Corpus mortuum triduo (ni fallor) cunctis cujuscunque & quantumvis infimæ ſortis hominibus paſſim , priusquam ſarcophago includeretur , palam ut conſpiceretur , permiſſum. Poſthæc ligneæ ciſtæ , ſtagneo ſarcophago obductæ , incluſa ſepulta eſt honorifice , & ſolenni pompa* 29. *die dicti menſis Aprilis Oeniponte , in Capella , S. Crucis templo & monaſterio ampliſſimo contigua, a SSmo ac Potentmo Principe , Domino D. Ferdinando* (*m*) *Archiduce Auſtriæ &c. ſumptuoſiſſime conſtructa.* Additum tumulo inſigne Mauſolæum (*n*) *laudabilem ſtatuam Archiduciſſæ* (*o*) & ſequentem epigraphen exhibens :

FERDINANDVS. DEI. GRATIA.
ARCHIDVX. AVSTRIAE.
DVX. BVRGVNDIAE.

CO-

(*l*) Vide *Georg.* RONERI JCti Orationem lugubrem *in Obitum SSmæ Principis ac Dominæ D. Philippinæ SSmi ac Potentiſſmi Principis ac Domini D. Ferdinandi Archiducis Auſtriæ &c. &c. Ducis Burgundiæ &c. & Comitis Tyrolis &c. Conjugis dilectiſſimæ* , quam is nuncupavit *Cardinali* ANDREÆ *de Auſtria* ac *D.* CAROLO *fratribus germanis* , *S. R. I. Marchionibus in Burgovia , Landgraviis in Nellenburg , & Comitibus in Hochenberg &c.*

(*m*) Hunc , dum *Philippina* diem ſupremam obiit , *Oeniponte* abſentem fuiſſe , monet Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *ſenior* in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg* , *Tom. I. pag.* 631.

(*n*) Integrum æri inſcalptum habes apud *Chriſtoph.* ARNOLDUM in *Vita Marci* VELSERI , *l. c. p.* 14. ubi plurima in laudem *Noſtræ* congeſta videbis.

(*o*) De hac ſtatua ait *Petr.* LAMBECIUS in *Commentar. de Biblioth. Cæſar. Vindobonenſi* , cura *Adami Franciſci* KOLLARII , *Libr. II. p.* 708. *Statua laudabilis hujus Archiduciſſæ , ex candido lapide pereleganter fabrefacta , extat etiamnum in templo Oenipontano S. Crucis &c.*

COMES. TIROLIS.
PHILIPPINAE. CONIVGI. CHARISSIMAE.
FIERI. CVRAVIT.
OBIIT. XXIIII. MENSIS. APRILIS.
ANNO. SALVTIS. MDLXXX.

Habes de *Philippina.* Laudes illius *Oratione funebri* celebravit *Georg.* RONERUS (uti me monuiſſe memini) itemque *Chriſtophorus* ARNOLDUS in Vita *Marci* VELSERI , *Opp.* ejus præmiſſa , *pag.* 11. *& ſeqq.* Similiter *Georg. Andr.* WILL in ſua *Bibliotheca Norica, P.I. Sect. II. pag.* 266. *no.* 1274. teſtatum reliquit , congeſſiſſe ſe *Collectanea* accuratiori Hiſtoriæ de venuſta ac inclyta *Philippina* VELSERIA condendæ inſervitura , eaque manu ſcripta, ut plurima alia , ſervare.

Non me latet , ſiniſtros de obitu *Philippinæ* rumores , ſparſos a quibusdam , *Germaniam* pervagaſſe ; ſed , cum *Georg.* RONERI , Scriptoris ſynchroni,qui mortem VELSERIAE, ex virorum fide dignorum teſtimonio , ſe narrare profeſſus eſt , auctoritatem itidem Scriptor ſynchronus ac pergravis , *Martinus* ſcilicet CRUSIUS in *Annal. Suevic.* & poſt unius ſæculi intervallum *Chriſtophorus* ARNOLDUS in Vita *Marci* VELSERI , ſibi omnino amplectendam reputarint ; haud video , cur ego ab his doctiſſimis Viris diſcedam ; præſertim poſtquam & Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *junior* (*p*) ſe hiſce rumoribus exiguam, aut plane nullam fidem habere, non obſcure indicavit. De his ſatis!

Sciſcitaberis poſthæc fortaſſis , Lector! quo titulo *Philippina* locum in hac mea *Bibliotheca* invenerit?

(*p*) In Libro : *Erlauterungen der in Kupfer geſtochenen Vorſtellungen aus der Geſchichte der Reichs - Stadt Augſpurg* , *pag.* 119.

rit ? Eo certe , quo & in *Petri* LAMBECII *Commentariis de Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* , *Libro II. p.* 708. Editionis *Kollarianæ* invenit. Ibi , a *Philippina* noſtra ſequentia *Manuſcripta* ſervari , traditur :

„ *Volumina quinque germanica chartacea* , *variis*
„ *ſelectiſſimis probatiſſimisque Remediis & Experimentis medicis ac coquinariis referta ; quorum*
„ *primum in quarto* , *& ſecundum in folio exarata ſunt propria manu Philippinæ* VELSERAE,
„ *primæ uxoris ſereniſſimi Archiducis Auſtriæ*
„ *Oenipontani* , *Ferdinandi* : *reliqua autem tria in*
„ *folio juſſu quidem & cura ejusdem jam memoratæ Archiduciſſæ* , *Philippinæ* , *aliena tamen*
„ *manu ſcripta ſunt. In compactura primi horum Voluminum leguntur extrinſecus hæc verba* : Philippinæ WELSERIN gehört dis Buch. “

Hæc cum LAMBECIUS , Scriptor graviſſimus laudatiſſimusque , monere nequaquam omiſerit, aut omittenda ſibi putarit ; non fuit profecto , cur ego eadem huic meæ *Bibliothecæ* inſerere dubitarem ; præſertim cum illa , etſi minora eſſent , tamen a perſonæ conſcribentis dignitate maximam claritatem ſibi ſumant.

VELSERUS (*Antonius*) Soc. Jeſu.

Antonius VELSERUS vetuſtiſſima ſimul & in variis Germaniæ provinciis perquam honorata , inter *Auguſtanos* maxime Patricios , ſtirpe oriundus fuit (*a*). *Auguſtæ* patre *Joanne* VELSERO , Viro proba-

(*a*) Quisquis de Gente *Velſeriana*, Virisque , quos illa protulit , domi forisque , pace juxta ac bello inclytiſſimis plura cognoſcere cupit , conſulat *Arborem genealogi-*

probatiſſimæ vitæ, & profundi conſilii, ac ſpectatæ multis gravibusque in eventibus prudentiæ, quem anno 1585. Præfectum urbis *Auguſtanæ* (*Duumvirum* vocant) Conſiliariumque Imperatoris *Rudolphi* II. factum fuiſſe invenio (*b*), in hanc lucem progenitus (*) mox eximiis animi dotibus ſpectabi-

logicam Gentis Velſerinæ æri inciſam, *Chriſtoph.* ARNOLDUM in *Vita Marci* VELSERI, præfixa ejus *Operibus* in *folio*, p. 5. & *ſeqq. Das groſſe Univerſal-Lexicon, Tom. LIV. p.* 1613. *& ſeqq. Pauli a* STETTEN *junioris Geſchichte der adelichen Geſchlechter der Stadt Augſpurg*, in 4to. p. 95. &, qui ibi citantur, *Auctores.*

(*b*) Vide *Pauli a* STETTEN *junioris Geſchichte &c. p.* 98. *Chriſtoph.* ARNOLDUM, *l. c. p.* 39. *Hiſtoriam Soc. Jeſu German. ſuper. Tom. II. p.* 133. Juvat Epitaphium, *Joanni* noſtro perhonorificum, ex *Chriſtoph.* ARNOLDO & *Daniel.* PRASCHIO, *Epitaph. Auguſt.* Collectore, *P. I. p.* 103. ſubtexere, quale in Choro Monaſterii *Ord. Prædicatorum* legitur:

DEO. AETERNO
JOANNES. VELSERVS. BARTHOLOMAEI. F
CAESARI. A. CONSILIIS. AVG. VIND. II. VIR
REMP. QVAM. SVPERIOR. TEMPOR. MOTIB
TVRBATAM. ACCEPERAT
OMNIBVS. ORDINIBVS. CONSENTIENTIBVS
TRANQVILLATAM RELIQVIT
VIXIT. ANN. LXVI. MENS. II. DIES. XXVII
PRAEFVIT. PATRIAE. ANN. XII
OB. AN. P. CHR. N. MDXCVI. III. K. SEPT
PRVDENTIA. MODERATIONE. ET. INTEGRITATE
CIVIVM. BENEVOLENTIAM. VIVVS
DESIDERIA. POST. MORTEM. MERITVS
NVLLIVS. VNQVAM. INVIDIAM
PASSVS. EST
FELIX
QVAE. EXEMPLVM. SEQVETVR
POSTERITAS

(*) Quo anno in hanc lucem natus ſit *Noſter*, dicere non auſim; cum ſibimet contradicat *Hiſtoria Soc. Jeſu Germa-*

ſtabilem ſeſe reddidit (*c*): quas præter, cum ſingulari doctrinæ ſtudio delectari videretur filius, a parente optimo in *Gallias* miſſus eſt, ut ibi ingenium artium & ſcientiarum ſuaviſſimis præceptis excoleret. Additus tum itineris ſocius, tum morum ac litterarum moderator, *Caſpar* TORRENTINUS *Mindelaltheimenſis Suevus*, poſtea Juris utriusque Doctor, Theologiæ vero (ut aiunt) Licentiatus, Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus, quem anno 1588. in Academia *Ingolſtadienſi* Profeſſorem Juris canonici publicum, eodemque anno *Jeſuitam*, anno vero 1593. Caſuum conſcientiæ in memorata Univerſitate Profeſſorem factum, demum anno 1594. *Monachium*, ut *Guilielmo* Duci *Bavariæ* a Confeſſionibus eſſet, evocatum (*d*) reperio. De TORRENTINO ſatis!

Antonius noſter, *Gallia* viſitata, in *Italiam* quoque, quo commeare ea ætate ſolebant omnes, qui animum optimarum diſciplinarum cognitione inſtituere cogitabant, iter dirigendum ſibi arbitratus, *Paduam* devenit. Illic, dum primis Jurisprudentiæ principiis informandus moras trahit, abs eruditis occupationibus liberum temporis ſpatium nactus, ſacris *D. Ignatii* commentationibus mentem exercere decrevit: quibus ipſis vacans inex-

Germaniæ ſuperioris. Etenim *Tom. I. p.* 321. affirmat, *Antonium*, jam annum ætatis viceſimum ſeptimum agentem, anno 1588. *Societati Jeſu* dediſſe nomen: ex quibus, computo inito, colligitur, *Noſtrum* anno circiter 1561. vitali aura frui cœpiſſe. At *Tom. V. p.* 472. diſerte ait: eum anno 1565. in hanc vitam ingreſſum eſſe.

(*c*) *Hiſtoria Soc. Jeſu. German. ſuperior. Tom. I. p.* 321.

(*d*) *Hiſtoria Soc. Jeſu. l. c. Jo. Nep.* MEDERER in *Annalib. Academiæ Ingolſtadienſ. Tom. II. p.* 73. 111. 131. 136.

inexſpectatum amplectendæ *Societatis Jeſu* propoſitum capit.

Rei totius ſeriem ſequentibus *Hiſtoria Soc. Jeſu Germaniæ ſuperioris P. I. p.* 321. enarrat, cujus teſtimonium hoc loco inſerendum mihi eſſe ob id maxime ſentio; quod prodigioſa quædam contineat, quorum fides apud multos tardior eſſe conſuevit: *In his* (ſacris nimirum Exercitiis S. Ignatii) *illuceſcente Deo agnovit* (Noſter) *quantopere gratum eſſet futurum Numini, ſi eam vivendi normam ſuſciperet, in qua & ipſe felicitatis æternæ portum inventurus eſſet certius, & idoneum ſe rediturus, ut alios ad eundem perduceret. Poſſe id ſe adipiſci intellexit, ſi Societati ſe noſtræ adjungeret; quapropter ſerio ex divinæ ſapientiæ regulis perpenſo negotio ſacri ſe voti obligatione adſtrinxit tentandi vias omnes, quibus eo perveniret, quo a DEO vocaretur. Moderatores noſtri, ubi mentem his aperuit, juſſerunt, quod fere in uſu eſt, ut patris conſenſum expoſceret. Erat is Joannes Welſerus Auguſtanæ Reipublicæ Duumvir, ac Cæſaris Conſiliarius, amans Antonii ſui, quem talem fore, nec immerito, ſperabat, qualis non multo poſt evaſit Marcus Welſerus, qui & ipſe quondam Auguſtæ Duumvir omnem Europam eruditiſſimis lucubrationibus Welſeriani nominis fama implevit, longe amplius, quam divitiarum memoria, quibus Welſeri, poſtquam ex Indicarum navigationum commercio Valenzivolæ inſulæ* (*e*) *dominio potiti ſunt, effloruerunt. Abnuit proinde poſtulationi genitor, atque ut vel nati conſtantiam explora-*

(*e*) De *Valenzivola*, *Americæ* occidentalis inſula, olim a *Velſeris* reperta, diutiusque ab eisdem permiſſu *Caroli V.* Imperatoris poſſeſſa videatur *Chriſtoph.* ARNOLDUS, *l. c. p.* 24. & *ſeqq.*

ploraret, vel omnino everteret, magnam auri vim juveni Paduam transmittit, libero ipſius expendendam arbitrio. Audiverat tunc Antonius eſſe in urbe Patavina puellam nubilem, genere ortam haud ignobili, ſed matre admodum egena, quæ proinde ſcelerato quæſtui exponere filiam conſtituiſſet. Flagitioſa hæc commercia ut everteret Antonius, aureæ monetæ, quantum manu capere potuit, virgini in dotem ſubmiſit. Facto tam generoſo promeritus eſt, ut ſubſequente nocte ſpectabilem ſe illi ſiſteret Gentium Doctor Apoſtolus, quem a puero ſpecialiter devenerari conſueverat. Collaudatum de pridiano actu Paulus hortatur, ut ineundæ Societatis veniam iterato a parente flagitet. Fore, ut conſentiat. Haud inane viſum hoc fuiſſe, res ipſa docuit. Mirum, quam facile ad alteram filii epiſtolam pater in poſtulata conſenſerit, punituri Numinis iram ſe formidare dictitans, ſi obluctaretur diutius. Jam Provinciæ Venetæ Præpoſitus adeundæ Societatis poteſtatem fecerat, quamprimum parens annueret. Quapropter eadem die, qua exoptata reſponſio advenit, Novellariam Patavio diſceſſit Antonius, periclitandus illic in tyrocinio. Factum hoc eſt anno a Chriſti nativitate MDLXXXVIII. Religioſi autem tyrocinii annum primum *Novellariæ* traduxit, alterum vero *Romæ* in Collegio *S. Andreæ* tranſegit, cujus ultimis menſibus in *Germaniam* remiſſus, is deinceps fuit, cujus virtutem, prudentiam, doctrinam *Hiſpania*, in quam cum regina *Margaretha*, *Caroli* Archiducis *Auſtriæ* filia, *Ferdinandi II.* Cæſaris ſorore, quà conſcientiæ illius moderator abiit: *Italia*: *Belgium*: *Germania* denique tota ultra quinquaginta annos ſuſpexerunt(*f*).

Hinc

(*f*) *Hiſtoria Soc. Jeſu Germ. ſuper. Tom. I. p.* 321. item *Tom. V. p.* 472.

Hinc *Chriſtophorus* ARNOLDUS (g) hunc *Antonium* noſtrum minime indignum cenſuit, quem cum ceteris *Velſeriæ* Gentis Viris præſtantiſſimis debito encomio mactaret, ſcribens: *Quid de reliquis Ordinibus dicam? Joh. Antonius, fraternitatem Societatis Jeſu amplexus, res ſacræ Confeſſionis primo apud Reginam Hiſpaniarum, deinde apud ſereniſſimum Ducem Wolfgangum Wilhelmum curavit, ceu Rector illius Societatis, Neoburgi ad Danubium.*

Sic *Societati Jeſu* additus, ſolo autem patrio anno 1590. redditus, quid toto quinquennii ſpatio geſſerit, incompertum quidem, at vero ſimillimum eſt: eum diſcendis Theologiæ placitis navaſſe operam: fors etiam, quæ fuerunt aliæ *Societati Jeſu* propriæ, periclitationes aut virtutis aut doctrinæ ſubiviſſe: ſacerdotii quoque honorem intra id temporis capeſſiviſſe. Anno vero 1595. *Philoſophiæ* Profeſſor in Academia *Ingolſtadienſi* conſtitutus (*h*), ita ejus diſciplinæ præcepta ſuis auditoribus explanavit, ut triennii elapſo ſpatio tres illorum omnino idoneos invenerit, quos ad *Theſes* publice ſuo ſub præſidio defendendas deſtinaret: de qua re inferius ſermo redibit.

Philoſophiæ curriculum docendo emenſus *Antonius* litteras Roma accepit (ſi *Hiſtoriæ Soc. Jeſu Germ. ſuper. Tom. V. p.* 473. credimus) quibus *Ingolſtadii* perſiſtere juſſus, & Collegio illi *Rector* datus eſt (*i*). Hoc autem muneris haud diu aut ſuſtinu-

(*g*) In Vita *Marci* VELSERI, *Operibus* illius præmiſſa, p. 30.

(*h*) *Jo. Nep.* MEDERER in *Annal. Acad. Ingolſtad. Tom. II. p.* 140.

(*i*) Miratur *Hiſtoria Soc. Jeſ. Germ. ſuper. Antonium* nondum 34. annos natum, Collegio *Ingolſtadienſi* totius

ſtinuit, aut etiam ſuſtinere potuit; quandoquidem anno 1599. quo *Margaretha*, *Caroli* Archiducis *Auſtriæ* filia, in *Hiſpaniam* profecta eſt, cum rege Philippo III. nuptiali thalamo ſocianda, *Noſter* (quod ſuperius jam dictum fuit) ei ſereniſſimæ Principi, ceu conſcientiæ arbiter, comes ivit. In ea aula ab *Ambroſio* SPINOLA cognitus fuit; qui idem per totam Europam clariſſimus bellicis laudibus heros cum lapſu temporis *Ratisbonam* veniſſet regio comitatu ſtipatus, totaque civitate ad tanti Ducis adventum extra muros effuſa *Antonius* quoque, tum Collegii illius *Rector*, eum conſalutatum obviam iviſſet, is *Noſtrum* ut primum vidit, gratulans & gaudens excepit, Procerumque corona relicta eum manu prehenſum inter hominum millia per mediam urbem deduxit (*k*).

Quamdiu *Noſter* in *Hiſpania* ſubſtiterit, dicere non habeo; at viam eundem in *Germaniam* ſub ſæculi decimi ſeptimi exordia relegiſſe haud temere credo. Etenim anno 1607. a Patribus, qui *Monachium* in unum convenerant, *Antonius* una cum *Ruperto* REINDELIO electus eſt, ut *Gregorium* ROSEPHIUM ad *Congregationem Societatis generalem*, ſextam numero, *Romam* proficiſcentem comitaretur. Similiter *Noſtrum Congregationi generali* ſeptimæ interfuiſſe reperio. Anno 1608. *Antonius* noſter a *Claudio* AQUAVIVA *Theodoro* BUSAEO, cum is ad inſpicienda *Germaniæ ſuperioris* Collegia mittere-

us Provinciæ maximo præfectum eſſe. At hoc totum in eam controverſiam recidit, quo vere anno *Noſter* natus fuerit? Vide ſuperius *Notam* (*).

(*k*) *Hiſtoria Soc. Jeſu Germ. ſuper. Tom. V.* p. 374.

teretur, Socius additus in *Valleſiam* usque penetravit (*l*).

His omnibus geſtis reliquum vitæ ſuæ tempus in aularum obſequiis utpote Ferdinandis II. & III. ceterisque *Auſtriacis* Principibus, uti & *Bavaricis* acceptiſſimus *Antonius*, itemque in *Societatis* præfecturis traduxit. Præfuit autem (quod ſuperius in tranſitu monere me memini) Collegiis *Ratisbonenſi*, *Ingolſtadiano*, & *Neoburgenſi* ad *Danubium*. Atque hoc poſtremo in loco *Noſtrum* apud *Wolfgangum Wilhelmum* Romana ſacra amplexum, conjugemque ejus *Magdalenam* Bavaram aulici Confeſſarii partes ſuſtinuiſſe, ſuperius jam ex *Chriſtophoro* ARNOLDO didicimus. Quo loco minime a me ſilentio prætereundum eſt, eundem ſereniſſimum Principem, quantam tum virtutis tum doctrinæ fiduciam *Noſtro* haberet, ea re quam luculentiſſime demonſtraſſe, quod ei primam unici filii ſui, *Philippi Wilhelmi*, ætatem moderandam regendamque commiſit (*m*). Et munere iſto ita quidem perfunctus eſt *Noſter*, itâque junioris Principis ingenium litteris ac virtutibus excoluit, ut is ævo deinde ſuo Principum Europæ vel præſtantiſſimus, vel inter præſtantiſſimos haberetur (*n*).

Aliud interim officium manebat *Noſtrum*, quod ei auctoritas *Mutii* VITELESCHI, *Societatis* Præpoſiti generalis, impoſuit; dum anno 1631. menſe Januario *Provinciæ Germaniæ ſuperioris* gubernacula ſuſci-

(*l*) *Hiſtoria S. J. Germ. ſuper. Tom. III.* p. 294. 362. & *Tom. V.* p. 473.

(*m*) *Hiſtoria S. J. &c. Tom. V.* p. 474. 475.

(*n*) Vide MORERI *Dictionnaire hiſtorique*, *Tom. II.* p. 117. & *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon. Baſel. Tom. V.* p. 314. 748. *Hiſtoria Soc. Jeſu Germ. ſuper.* l. c.

ſuſcipere juſſit. Functus eſt autem ab anno 1631. usque ad annum 1640. bis eo munere *Noſter*, poteſtate primum ordinaria, deinde extra ordinem: atque ita functus eſt, ut per *Suecici* belli, belli, quantum vix ulla retro Germanorum ætas meminit, & *prœliis cruenti*, *& cladibus atrocis*, *& expeditionibus multiplicis*, *& varietate Martis ambigui*, *& partium contentione pertinacis,populorum denique vexatione famoſi* turbulentiſſima tempora, variaſque & graviſſimas *Collegiorum* ſuorum calamitates in ſuccurrendo alacrem, in commiſerando pium, in perferendo fortem, in medendo perſpicacem,per omnia vero erectum virilemque animum circumtulerit.

Hæc inter *Noſtro* ſenectus & mors obrepit; quippe anno 1640. in febriculam, quam deſtillans ex ſummo capite humor in ſenili corpore lethalem efficiebat, incidit. Quare ſummam ſibi horam, dudum optatam, imminere ſentiens ſacris ſe myſteriis muniri curavit, morbique vi invaleſcente, præſente ad extremum usque ſpiritum *Philippo Wilhelmo* Principe, vita decedens, menſe Novembri memorati anni elatus eſt (*o*) ingenti tum civitatis tum totius regionis luctu.

Quisquis de fama *Noſtri*, deque ejus virtutibus, præcipue modeſtia, patientia, magnanimitate, παῤῥησίᾳ plura noſcere avet, conſulat *Hiſtoriam Soc. Jeſu Germ. ſuper. Tom. V. p.* 473. *& ſeqq.* Ego ad ingenii monumenta, quæ *Antonius* nobis

(*o*) *Hiſtoria S. J. Germ. ſuper. Tom. V. p.* 6. 475. *&* 476. quæ *Noſtro* annos vitæ 75. tribuit; ſed hoc totum (ut dixi,)ab anno nativitatis pendet; qui cum dubius ſit, nihil deſinio.

nobis reliquit, typis excuſa, paucula illa quidem, exponenda pergo. Sunt autem ſequentia:

I. *Aſſertiones ex univerſa Philoſophia naturali deprompta, præſide P. Antonio* VELSERO, *reſpondente Bartholomæo Turnero. Ingolſtadii.* 1598.

II. *Diſputatio philoſophica de Anima in communi, deque vegetativæ, ſenſitivæ & rationalis naturis ac propriis affectionibus, præſide P. Antonio* VELSERO, *reſpondente Hackhero. Ingolſtadii.*

III. *Theſes philoſophicæ ex Libris Ariſtotelis de cœlo, generatione & meteoris, præſide P. Antonio* VELSERO, *reſpondente Georgio Hubero. Ingolſtadii.* 1598. (*p*).

(*p*) Extiterunt olim in Bibliotheca publica *Auguſtana*, teſte *Eliæ* EHINGERI *Catalogo ejusdem Bibliothecæ*, *pag.* 239.

VELSERUS (*Antonius*) Præpoſitus Friſingenſis Eccleſiæ.

Fuit ſubſequentis *Marci* VELSERI, Scriptoris tota Europa, & communibus Eruditorum ſuffragiis celebratiſſimi, frater germanus; *Canonicusque* Eccleſiæ cathedralis *Friſingenſis*, & ejusdem Eccleſiæ, poſt mortem *Alexandri* FUGGERI Comitis, cujus *Coadjutor* fuerat, *Præpoſitus* anno 1612. conſtitutus eſt. Eandem, *Præpoſiti* ſcilicet, dignitatem in Eccleſiis *Spaltenſi* & *Iſnenſi* tenuit (*a*). Fuit præterea (ut *Dominici* CUSTODIS *Dedicatio* ad *Sanctos Auguſtanos* docet) a SSmo Electore Colonienſi, & Epiſcopo Friſingenſi *Erneſto*, e Duci-

bus

(*a*) *Corbinianus* KHAMM in *Hierarch. Auguſtana, Tom. II. collegiali*, *pag.* 319. *Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Vita Marci* VELSERI, ante *Opera* ejusdem. p. 29. 51. *Paulus a* STETTEN *junior Geſchichte der adelichen Geſchlechter der Stadt Augspurg. p.* 98. *Hundii Metropolis Salisburg. T. I. p.* 122.

bus *Bavariæ*, ob ſingularem doctrinam atque prudentiam *Conſiliariorum* albo adſcriptus. Hunc anno 1601. in famigeratiſſimo *Colloquio Ratisbonenſi*(*b*) a *Maximiliano Bavariæ* Duce, aliisque Principibus inſtituto,una cum *Wolfgango* HANNEMANO Decano ad *S. Petri Monachii*, ac *Friſingenſi* pariter Canonico, inter Teſtes ac Conſultores locum tenuiſſe, tradit *Hiſtoria Societatis Jeſu Germaniæ ſuperioris*, *Tom. III. p. 6.* quæ eundem *Theologiæ Doctoris* titulo ornare non omittit. Liquide patet ex his, quantum honoris, quantamque doctrinæ exiſtimationem *Noſtro* habuerint Principes *Bavari*, apud quos eundem permagna valuiſſe gratia, etiam inferius videbimus. Annum fatalem habuit milleſimum ſexcenteſimum decimum octavum, quo, die 20. Septembris, vita decedens ad *S. Benedictum* tumulo conditus eſt (*c*).

Non niſi pauca hæc de vitæ *Noſtri* circumſtantiis poſterorum memoriæ relicta eſſe, vehementer dolendum eſt. Mitigat tamen dolorem hunc paulo amplior de litterariis *Antonii* laudibus dicendi copia. Fuit autem *Noſter* a multifaria doctrina (ut de theologicis diſciplinis, in quibus ſummos Doctoratus honores adeptum fuiſſe jam ſuperius monui, hic ſileam) præcipue vero ab antiquaria cognitione ita inſtructus, ut multis palmam præripere poſſet: & quemadmodum erat Muſarum amantiſſimus, ſic, ut earum dulci conſortio frui jugiter liceret, egregiam non exiguis ſumptibus Biblio-

(*b*) Colloquii hujus cauſſam, initium, progreſſum, finemque fuſe deſcribit *Hiſtoria Soc. Jeſu German. ſup. Tom. III. p. 1. & ſeqq.*

(*c*) HUNDII *Metrop. l. c.* KHAMMII *Hierarch. Auguſt. l. c.*

bliothecam comparavit; quam *Noſtrum* non vanam affectatæ eruditionis gloriam captandi,ſed comparatis libris plane utendi gratia inſtruxiſſe, vel ex hoc ſolo patet, quod libros, *veteres amicos ſuos*, appellare in *Epiſtola*, de qua inferius ſermo habebitur, minime dubitarit. Non ſine ſpeciali laude hujus Bibliothecæ meminit *Jacobus* GRETSERUS (*) his verbis: *Unde fit, ut æs nunquam melius utiliusque expoſitum inſumptumque opineris, quam ſi in libros impendatur. Hinc Bibliotheca illa tua omni voluminum genere inſtructiſſima & abundantiſſima. Quis vel apud ultimos Iberos bonæ probæque notæ Auctor in publicum venit, qui per tot maris terrarumque ſpatia Friſingam pariter ad Muſæum tuum non veniat?* Nec aſſentatorie, ſed enim ex vero hæc dixiſſe GRETSERUM, comprobat copioſus *Catalogus Librorum* hujus Bibliothecæ, poſt mortem *Noſtri* typis excuſus, 158. folia in 4to. implens, cui titulus ſequens: *Catalogus Bibliothecæ admodum Reverendi & Nobilis D. Antonii* VELSERI, *quondam Eccleſiæ cathedralis Friſingenſis Præpoſiti. Auguſtæ Vindel. Apud Saram Mangiam, Viduam. MDCXIX.* (**). Non ſolum autem ſuam bibliothecam ſibi quam familiariſſimam reddidit *Antonius*, ſed etiam alias ſedulo excuſſit. Rei hujus indubio argumento ſunt *Membranæ* manuſcriptæ, *Publii Syri Sententias* complectentes, repertæ a *Noſtro* in Bibliotheca cathedrali *Friſingenſi*, quas fratri ſuo *Marco* VELSERO *Duumviro Auguſtano* mox transmiſit: is vero MURETI *Orationibus*,

K 3 *Epi-*

(*) In Dedicat. ad *Theodorum* ABUCARAM a ſe anno 1606. editum, & *Anaſtaſio Sinaitæ* ſubnexum.

(**) Extat in Bibliotheca Monaſterii *San - Udalricani, Auguſtæ.*

Epiſtolis &c, Ingolſtadii. apud *Sartorium.* adjungi curavit (***). Unde binis his & proſapia & doctrina nobiliſſimis fratribus ea laus debetur, quod poſt *Deſiderium* ERASMUM primi priſcum hunc Auctorem ab interitu vindicarint.

Neque ſatis habuit *Noſter*, ſe ſolum ſcientiis litare. Quamobrem Viris ævi ſui eruditis patronum ac moecenatem ſeſe exhibuit maximum, & eisdem multorum veterum Scriptorum in lucem typi ope producendorum incentor extitit atque promotor. Ea, quæ hactenus dixi, luculentiſſime comprobaturus operæ pretium judico, Eruditorum ſynchronorum, ſatis (puto) idoneorum teſtium, auctoritates *Noſtro* multo honorificentiſſimas latius proponere: *Andreas* SCHOTTUS (*d*) de *Noſtro* ejus-

(***) De his Editor ſequentia habet: *Ubi cum aliis conferre coepi, illico deprehendi in Codice Friſingenſi quamplurimos optimæ notæ, vere Publianos, & perquam eleganter acutos mimiambos, qui in omnibus aliis hactenus deſiderabantur* &c. Hac *Ingolſtadienſi* editione uſi, quotquot poſtea *Publium Syrum* vulgaverunt. Confer novam Editionem Libri: *L. Ann. Senecæ, Publii Syri & aliorum Sententiæ ſingulares*, a *Sigeberto* HAVERKAMPO & *Abrahamo* PREYGERO adornatam. 1727. *Lugduni Batavorum.* Item *Jo. Alberti* FABRICII *Bibliothecam latinam, Tom. I. p.* 337. *Edit. Venetæ.* Immaniter autem errat Liber: *Das groſſe Univerſal - Lexicon. Leipzig. Tom. LIV. p.* 1623. dum ait: hoc noſtro labente ſæculo *Antonium* VELSERUM, Canonicum *Friſingenſem*, in Bibliotheca *Friſingenſi Publii Syri* Codicem MSStum detexiſſe. Error hic inde originem habuit, quod verba *Novellarum eruditarum Lipſienſium* (Leipziger gelebrte Zeitungen, ad annum 1741. p. 745.) iteratam *Paduæ* memorato anno *Publii Syri* editionem in 8vo. annunciantium, perperam, atque in eum ſenſum accepta fuerunt, ac ſi Opus omnino novum annunciarent.

(*d*) In Dedicatione ad PHOTIUM a ſe editum.

ejusque fratribus in hæc verba loquitur: *Quod utinam exemplum dynaſtæ ac reges ſecuti in iisdem pedem veſtigiis ponerent, ac libros SS. Patrum ineditos cognoſci atque evulgari ſinerent. Næ plures longe Græcarum litterarum uſum interpretando revocarent; nec amplius veluti muta tacerent, quæ in denſis hodie tenebris, tineas paſcendo, deliteſcunt. Sed id optare citius, quam ſperare liceat, niſi ſi* VELSERORUM *ſimiles exoriantur, qui concordiſſimi fratres (Vos enim bona venia appello,* Antoni, *Matthæe ac Paule!) rem litterariam longe lateque provehitis, diſciplinarum pomœria effertis, doctisque hominibus, doctiſſimi ipſi, opem re conſilioque ferre non ceſſatis, ut jam ubique gentium non ſit*

- - - - - - - - Phœbo gratior ulla,

Quam quæ VELSERI *præſcripſit pagina nomen.*

Similiter *Matthæus* RADERUS (*e*), poſtquam de tribus *Noſtri* fratribus, *Marco*, *Matthæo* & *Paulo* ſequentia dixerat: *Veſtrorum nominum inſignibus hanc Camoenam meam prodire volui, ut illuſtrior & auguſtior in publico appareret!... ſi frons ipſa antiſtites eruditionis, veluti vindices & aſſertores ſtudiorum meorum præſeferret. Invitatus ſum elegantia ingeniorum veſtrorum omni diſciplinarum genere excultorum: quæ quanto ſublimiora, tanto ſimul modeſtiora humanioraque experiebar,* tandem ſubdit: *Eadem elucet virtus in admodum reverendo ac ampliſſimo Viro* Antonio VELSERO *Spalatenſi Præſule, Canonico Friſingenſi, litteris juxta græcis ac latinis, divinis & humanis inſtructiſſimo.* Nec aliter ſenſit *Henricus* CANISIUS, qui in *Dedicatione* ad *Tom. I. Lection. antiq.* ſibi minime omittendum judicavit,

K 4 quin

(*e*) In Nuncupatoria ad MARTIALEM ſuum.

quin *Noſtrum* una cum fratre *Marco* inter eos, qui veteres Auctores, altis immerſos tenebris, in lucem vindicant, gratus referret his verbis: *Inter quos eminent hodie Marcus* VELSERUS... *ejusque germanus Antonius* VELSERUS, *vir ſine ambitione doctiſſimus.* Et ad calcem *Menologii* antiqui, a ſe editi, (*f*) ait: *Theſaurum hunc* (puta *Menologium*) *Andreæ* SCHOTTO *S. J. acceptum refero.... Sed nec minores gratiæ habendæ ſunt....* Antonio VELSERO, *Marci fratri, quos, quotiescunque nomino, ſi eos debitis encomiis ab exquiſita & admiranda eruditione repetitis non afficiam, ſcito cauſſam eſſe, quia illa nomen ipſum præfert. Submiſit ergo Friſinga T. mos Menæorum magnorum, græce tantum excuſos, ſine quibus, fateor, nunquam eluiſſem menda, quæ erant in MSS*to *apographo.* Et alibi idem CANISIUS (*g*) dicit: *Porro taceri non debet... Marcus* VELSERUS... *& frater germanus illius....* Antonius VELSERUS *cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus, Viri omnia eruditiſſimi: quorum ille ſubmiſit membranas MSStas Hirsfeldenſes Pauli Diaconi una cum variis Lectionibus in Miſcellam Jacobi Bongarſii & MSStum Anaſtaſium Bibliothecarium Rom. Interpretem Theophanis: ex quo in Hiſtoriam miſcellam pleraque inſerta ſunt.... Hic vero ſubmiſit Exemplar Petri Pithæi Miſcellæ. Quibus meritas habemus grates.* His rebus permotus quoque *David* HOESCHELIUS ATHANASII *Vitam S. Antonii Eremitæ*, a ſe anno 1611. editam *Antonio* noſtro dicavit, præmiſſa Allocutione græ-

ca,

(*f*) V. *Henr.* CANISII *Lectiones antiquæ*, *Tom. III. P. I. p.* 500. *Editionis Basnagianæ.*

(*g*) In Dedicatione *Hiſtoriæ miſcellæ Pauli Diaconi.*

ca, in qua eum (ut latinis vocabulis utar) *divinarum rerum callentiſſimum* appellat.

Aſt hos omnes laudando plurimum vincit *Jacobus* GRETSERUS (*h*) *Noſtrum*, cui *Theodorum* ABUCARAM inſcripſerat, ſequentibus compellans: *Quis autem iſte Abucaras fuerit, quo ſæculo floruerit, non ego dicere, ſed a te, Vir clariſſime! qui omnem antiquitatis memoriam pectore concluſam tenes, diſcere cupio.* Et poſtquam multa de *Abucara* diſputaſſet, addit: *Verum hæc omnia tui judicii & arbitrii facio, eruditiſſime Domine! qui nodo huic facile vindicem reperies.... Et quamvis in te admirer ea omnia ornamenta & decora, quibus virum eccleſiaſticum inſignitum nobilitatumque oportet; neſcio, tamen quo occulto illice mirifice me in tui cultum trahat incredibilis illa tua doctrinæ varietas, Theologiæ (inquam) Philoſophiæ, & elegantioris litteraturæ ſcientia: linguarumque non modo italicæ, gallicæ, hiſpanicæ; ſed & græcæ & latinæ, non illius quæ & compita & pulpita jam obſidet, ſed ejus, qua priſci illi Quirites uſi, peritia....* Denique in laudem non ſolum *Noſtri,* ſed fratrum quoque ejus ita concludit: *Laudat Agathias... Trallianam quandam mulierem, eamque fortunatam prædicat, quod quinque filios, eosque poſtea omnes doctiſſimos & celeberrimos progeneraſſet.... Hæc profecto laus in tuam domum ſtirpemque concinnius... quadrat, in qua inſignem πεντάδα ſelectiſſimorum fratrum* (*i*) *cernere licet, litteris ita florentem, ut has*

K 5 *ſolas*

(*h*) In Dedicatione ad *Theodorum* ABUCARAM. 1606.

(*i*) *Quatuor* horum fratrum in præſenti *Alphabeto* laudo, *Antonium* ſcilicet hunc ipſum, *Marcum*, *Matthæum*, *Paulum:* quorum typis excuſa extant ingenii monumenta; De *quinto* hactenus nullum mihi occurrit.

ſolas tractare videatur : rurſumque in negotiis, quæ ad Dicen & Themidem ſpectant, usque adeo excellentem, ut reliquis omnibus poſthabitis, hoc unum duntaxat curæ cordique habere exiſtimari queat.

Verum quid longius in proponendis Virorum eruditorum, ad *Noſtrum* pertinentibus, præconiis detineor; cum aliud ſuperet his multo certius evidentiusque doctrinæ, qua *Antonius* præditus fuit, monumentum, puta:

Epiſtola ad Hieronymum FABRUM *Medicum de Zeta ſive Diæta & Diætario*, quam *Noſter Friſingæ* anno 1604. die 21. Maii exaravit. Ejus ſcribendæ occaſionem Hiſtoria *S. Caſtuli* Martyris dedit, qui *Zetarius palatii* fuiſſe dicitur. Extat autem illa typis excuſa ad calcem *Commentarii Laurentii* PIGNORII *de Servis*. 4º. 1613. *Auguſtæ*: unde in GRAEVII *ac* GRONOVII *Theſaurum Antiquitatum Græcarum ac Romanarum* cum eodem PIGNORIO migravit, inter *Joann.* POLENI *Supplementa*, *Tom. III. p.* 1316. viſenda. Haud alienum a propoſito arbitror, nonnulla ex hac *Epiſtola* delibare, ut Lector facilius intelligat, quorſum illa maxime ſpectet, & quæ ejus ſcribendæ cauſſa fuerit.

Inter alios complures honores, quos nuper Landishutæ Sereniſſimi Principes in me immerentem contulerunt, non minimus is fuit, quando in prandio, exorto ſermone de nomine Zetarii, quæ illi proprie notio ſubjecta eſſet, cum dixiſſet quæ volebat Reverendus D. Præpoſitus (k) *Sereniſſimus Princeps Maximilia-*

(k) *Præpoſitus* iſte haud dubie fuit *Joannes Jacobus* IM-HOF, quem hanc dignitatem in Eccleſia *SS. Martini & Caſtuli*, *Landisbuti*, anno 1610. geſſiſſe tradit Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *junior* in *Geſchichte der adelichen Geſchlechter von Augſpurg*, *p.* 176.

milianus meam quoque ſententiam intelligere voluit, m.ſitque ad me D. T. quæſitum, ecquid ſuper ea re mihi compertum eſſet. Atque ibi ego teſtatus ante omnia, nihil me de iſta quæſtione ante cogitaſſe, dicturumque non alia, quam quæ ſubito in mentem veniſſent: reſpondi 1º. *idem mihi videri eſſe Zetam, vel rectius Zætam, quanquam promiſcue ſcripſerunt veteres, quod diætam &c. &c. - - - - - - - - - - - Quæſiviſti, num iſta omnia ſtatim idoneis auctoribus aſtruere, ac probare poſſem. Negavi, quippe imparatus & deprehenſus. Poſtea domum reverſus, cœpi conſiderare ſingula diligentius & attentius, lubuitque experiri, an obſequentiores & minus ſuperbos libros haberem, quam D. Præpoſitus, qui ſuos a ſe conſultos ajebat nihil reſpondiſſe. Et eſt ſane, cur veteribus amicis meis, libris inquam, habeam gratiam; ita liberaliter & benigne reſponderunt ad omnia, neque paſſi ſunt exiſtimationem meam, hoc ſaltem nomine, apud Sereniſſimum Principem in diſcrimen venire....* Et poſtquam multis probavit, *Zetam* diætam, *Zetarium* diætarium eſſe, tandem in hæc verba finit: *Sane plus aliquid fuiſſe, quam ſervum, S. Caſtulum; præter alia id mihi perſuadet, quod ter auditus fuiſſe dicitur, quæ cautio & moderatio in ſervum, vile caput, vix congruit. Hæc ſunt, clariſſime Domine! quæ de Zeta & Zetariis in mentem venerunt, ſed & alia complura, quæ non eſt operæ, & nimis ambitioſum ſit perſequi. Scripſi autem in gratiam Sanctiſſimi Martyris Caſtuli, - - - & Sereniſſimi Principis, cui tu, ſi tanti eſſe putabis, referes....*

VELSERUS (*Chriſtophorus*)

Gente Patritia, quæ ex longa retro antiquitate

tate *Auguſtæ* (*a*) claret, cretus, frater *Margaritæ* VELSERIAE (*b*) de qua, utpote inter Eruditos *Auguſtanos* locum haud infimum commerita, paullo ſuperius dixi, patrem habuit *Antonium* VELSERUM Præfectum *Memmingenſem* (*c*), matrem *Catharinam* VOEHLINIAM (*d*). His parentibus genitus *Noſter*, anno 1480. primam lucem vidit; id quod ex ejusdem *Epitaphio* inferius apponendo eruere licet.

Præclaris ingenii dotibus a natura inſtructum fuiſſe *Noſtrum*, litterisque bonis atque ſeverioribus ſtudiis eximiam junioribus annis navaſſe operam, tum plura credibile faciunt; tum vero, quam adultior conſecutus eſt, *Doctoris in utroque jure* laurea, &, quod ſuccedente tempore geſſit, *Scriptoris apoſtolici* ſpectatiſſimum munus quam evidentiſſime confirmant (*e*). Quanquam autem hoc poſtre-

(*a*) De Gente *Velſeria* videri poterit Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *junior* in Libro: *Hiſtorie der adelichen Geſchlechter der H. R. Reichs - Stadt Augſpurg*, pag. 95. & quos is citat, Auctores.

(*b*) Vide *Epiſtolam Margaritæ* VELSERIAE abs *Hieronymo Andrea* MERTENSIO. 1778. in 8°. *Auguſtæ* editam, in *Præfatione*.

(*c*) Hunc jam anno 1488. Præfecti (vernacule *Stadt-Amman*) dignitate inclaruiſſe, docet Perilluſtr. *Paulus a* STETTEN *l. c. p.* 98. ubi etiam *Chriſtophori* noſtri paucis meminit.

(*d*) Vide *Hiſtoriam Vitæ ac Meritorum Chuonr. Peutingeri*, a me *poſt Jo. Georg.* LOTTERUM *novis curis illuſtratam*. 8. 1783. p. 23. 33.

(*e*) His honorum titulis jam anno 1511. abs ſorore ſua *Margarita* VELSERIA decoratur *Noſter* initio *Epiſtolæ* abs *Hieronymo Andrea* MERTENSIO anno 1778. in 8°. editæ *Auguſtæ*. Confer *Viguleii* HUNDII *Metropolin Salisburgenſem*, *Tom. I. p.* 188. *Corb.* KHAMMII *Hierarch. Auguſtanam*, *P. II. colleg. p.* 296.

poſtremum officium per ſe arduum ſatis, ac pluri- mis circumſeptum laboribus eſſe cognoſcatur, in illo tamen ita eſt verſatus *Noſter*, ut teſte *Chriſtophoro* ARNOLDO (*f*) *graviora ſtudia politioribus litteris condire* minime neglexerit.

Hæc de eruditione, muneribusque Noſtri; quæ cum perpauca ſint, plura utut ſollicite rimanti non occurriſſe, ipſus vehementer doleo. De dignitatibus autem, quibus *Noſter* enituit, ſic habe. Præpoſitum S. Stephani *Bambergenſis* vocat ſoror *Margarita* VELSERIA (*g*). Eadem, cum *Wiguleio* HUNDIO (*h*) & *Corb.* KHAMMIO (*i*) Præpoſitum cathedralis Eccleſiæ *Ratisbonenſis* facit. Et in hac poſteriori Eccleſia quidem Præpoſituram (conſueto utor vocabulo) anno 1511. triennio vero poſt, ſcilicet 1514. etiam Canonicatum eſt conſecutus.

Superat de morte *Noſtri* dicere, quæ ei annis necdum gravato, nimis maturata, ſupervenit. Obiit autem anno a partu Virginis 1536. ætatis 56. expleto, & in templo cathedralis Eccleſiæ *Ratisbonenſis, ad parietem, ſub clypeo gentilitio, ſuperpoſito galero Præpoſitis uſitato, marmoreos hoſce titulos pro merito ſuo accepit* (*k*):

R.D. CHRISTOPHOR. VELSER. ECCL. R. PRAEPOSITVS. ET. CANON. NON. TAM. OPVM. QVAM.

(*f*) In Vita *Marci* VELSERI, quæ extat ante ipſa *Opera* VELSERI, *Norimbergæ*, 1682. in *folio* excuſa, p. 52.

(*g*) Initio *Epiſtolæ* ſuæ cura MERTENSII edita, uti ſupra indicavi.

(*h*) In *Metropoli Salisburgenſi*, *Tom. I. p.* 188.

(*i*) In *Hierarchia Auguſtana*, *P. II. colleg. p.* 296.

(*k*) *Chriſtophorus* ARNOLDUS hoc *Epitaphium* exhibet in *Vita Marci* VELSERI, uti ſupra, *pag.* 52. Conferto *Wigul.* HUNDIUM, & *Corb.* KHAMM *ll. cc.*

QVAM. VIRTVT. DIVES. AC. RARA. CORP. MAIESTATE. PRAEDITVS. HOSPITALITATIS. EXEMPLVM. PAVPER. PR̄. MAGNVMQVE. FAMILIAE. SVAE. DECVS. CVM. INTER. GRAVES. ECCLESIAE. PROCELLAS. ANNOS. LVI. M. V. D. XXIV. PIE. INTEGRE. AC. MAGNIFICE. VIXISSET. MORTE. RAPTVS. HIC. VT. VIVENS. DISPOSVIT. CONDITVS. IACET. OBIIT. ANNO. SALVTIS. M.D.XXXVI. D. XXI. AVGVST.

A *Noſtro* unum ſolum, mole quidem parvum, ſed ad gravem maximaque animorum contentione agitatam litem, puta *Joannis* REUCHLINI adverſus Doctores *Colonienſes*, pertinens monumentum repperire potui. Eſt illud.

Epiſtola Chuonrado PEUTINGER *Sororio ſuo Romæ* 27. Januarii, anno 1515. ſcripta: qua ſe cauſſam CAPNIONIS Cardinali *Adriano* (id quod PEUTINGERUS a *Chriſtophoro* noſtro petierat) commendaturum promittit: ſororiumque ſuum variis rationibus de felici litis eventu quam optime ſperare jubet. Extat hæc *Epiſtola* inter *Illuſtrium Virorum Epiſtolas ad Joannem* REUCHLINUM. 4°. *Hagenoæ.* 1519. ubi etiam, in *Catalogo* prævio CAPNIONIS *Defenſorum acerrimorum*, inter primos locum *Noſter* invenit.

Liquido autem tum hæc *Epiſtola Noſtri*, tum ſororis ejus *Margaritæ* VELSERIAE *Epiſtola* abs *Hieronymo Andrea* MERTENSIO. 1778. in 8°. edita, *cap.* 3. *p.* 33. & *cap.* 29. *p.* 86. commonſtrant, *Noſtrum*, dum *Romæ* commoratus eſt, cum PEUTINGERO doctum litterarum commercium multimodis aluiſſe, nulloque modo intermiſiſſe, quin

ſerias

ſerias occupationes, quibus pro muneris ſui ratione implicabatur, dulci Muſarum conſortio condiret.

VELSERUS (*Marcus*)

Erunt fortaſſis nonnulli, qui me, novam *Vitæ Marci* VELSERI *deſcriptionem* molientem, actum agere exiſtiment: poſtquam de Viro hoc ſummo Scriptores ante me complures, iique graves admodum, uti *Melchior* ADAMUS, ZEILERUS, KOENIGIUS, POSSEVINUS, GHILINUS, RHODIUS, RICCIOLUS, BOSCA, CINELLUS, & qui hos omnes maxime vicit, *Chriſtophorus* ARNOLDUS prolixe copioſeque ſcripſerunt. Verum, etſi ARNOLDUS eorum, qui ante ſe fuerant, Scriptorum omnium omnia miro ſtudio ſingularique diligentia in unum congeſſerit, eaque ratione æternum *Velſeriano* nomini monumentum ante ipſa *Marci* VELSERI, a ſe publicata, *Opera* poſuerit; tamen (cum fieri non poſſit, ut unus omnia norit) haud pauca relicta ſunt, quæ induſtrioſiſſimum ceteroquin Auctorem feſellerunt, aut primum poſt ejus obitum in lucem prolata ſunt. Acceſſerunt Scriptores nonnulli recentiores, *Nicol. Hieronymus* GUNDLINGIUS, *Jo. Chriſtoph.* WENDLERUS, Conditores *magni Lexici univerſalis Lipſienſis*, *Jacob.* BRUCKERUS, *J. C.* LIPPERTUS Eques *Boius*, aliique, qui nova hactenusque incognita de *Noſtro* afferre in medium minime neglexerunt. Horum Obſervata, itemque a me animadverſa quæcunque in unum corpus (quantum per ingenii mei vires, vitæque rationes liceret) colligere, orbique litterato in *tres* partita *ſectiones*, hoc *altero Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabeto*, exhibere decrevi confidens, fore, ut hac ratione Hiſtoriæ litterariæ amatores, eos præſertim, quibus Collectionem

nem *Operum Marci* VELSERI noſtri ab ARNOLDO vulgatam habere, ſive per ipſam Libri raritatem, ſive per rei familiaris anguſtias aut non libet aut non licet, plurimum demererer. Quid autem effectum dederim, æquus judicet Lector.

Sectio I.

Vita, Obitus, Dotes atque Virtutes Noſtri.

Marcus VELSERUS (*a*) ex gente patricia cum vetuſtiſſima, tum toga ſagoque inclytiſſima

(*a*) Sollicite a *Marco* VELSERO noſtro diſtinguendus eſt alius *Marcus* VELSERUS *ſenior*, patruus *Noſtri*, anno 1526. in hanc lucem progenitus, teſte *Arbore genealogica Velſerina*. Hic ædiculam *S. Severini* ruinæ proximam, a ſe redemptam inſtauravit (Confer *Car.* STENGELII *Comment. Rer. Auguſt. p.* 313. *Corb.* KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 245. 373. *Pauli a* STETTEN *ſenior. Augspurgiſche Geſchichte, Tom. I. p.* 870.) addita ſequenti inſcriptione, quæ Capellæ muro exterius infixa adhuc legitur:

AEDEM. HANC. D. SEVERINO.
A. LVDOVICO. III. BOIORVM.
PRINCIPE. DICATAM. POST.
ANNV̄. C C C. RVINAE.
PROXIMAM. AC DV-
DVM. PROPHANAM.
MARCVS. WELSER. AERE.
SVO. EMIT. A. FVNDAMENTIS.
PENE. INSTAVRAVIT.
CHRISTIANO. RITV. VETERI.
PATRONO. CONSECRAVIT.
ET. IN. EA. SIBI.
MONVMENTO. LOCVM.
LEGIT.
M. D LXXVIII.

Præclaris in Republica patria officiis functus obiit anno 1596. ſepultus in memorata Capella, uti Epitaphium ejus

ma (*b*) originem trahens , anno poſt Servatorem mundo datum MDLIIX. die 20. Junii primam vitalem

ejus a *Dan.* PRASCHIO *Epitaph. Auguſtan. T. I. p.* 197. relatum docet :

MARCVS. WELSER
PATRICIVS. AVGVSTANVS
QVI
HANC. AEDEM. FERE. COLLAPSAM
RESTITVIT
HVMANARVM. RERVM. EXITVM
MATVRE. PROSPICIENS
VIVVS. SIBI
MONVMENTVM ISTVD
QVO. INFERRETVR. FECIT
VIXIT. ANNOS. LXXI
MENSES. V. DIES. XI
OBIIT. ANNO. CHR. MDXCVI
MENSE. JVLIO. DIE. XVII
CONJVGII
QVOAD. VIXIT. EXPERS

Inſolitum quid de hoc *Marco* VELSERO narrat *Hiſtoria Soc. Jeſu German. ſuper. Tom. I. p.* 346. ubi, poſtquam *Auguſtæ* ſcholam *Logices* & *Theologiæ moralis* a Patribus *Soc. Jeſu* ad annum 1590. cœptam fuiſſe retulerat , ſubdit : *Quanti hanc morum informationem viri probi cordatique fecerint, exemplo monſtratur, cui vix ſimile alibi locorum unquam viſum fuerit. Marcus* WELSERUS , *quem, quod alterum ex eadem familia Marcum Scriptorem celeberrimum ætate præceſſerit , faſti Auguſtani Seniorem appellant . . . vir coelebs , vitæque integerrimæ , amplis præterea inter magiſtratus muniis effulgens , ut primum hæc Theologiæ pars tradi coepta eſt , ſexaginta jam transgreſſus annos, coepit tamen & ipſe frequentare Gymnaſium , quoties valetudo permittebat & . . . diſcendi cupidus auditor . . . adeſſe.*

(*b*) Satis abundeque a me in præcedentibus indicatum fuit , quinam Scriptores de Gente VELSERIA conſuli poſſint. Quamvis autem horum nonnulli ipſum adeo BELLI-

talem auram *Auguſtæ* haurire cæpit (*c*), procedente tempore tum familiæ ſuæ totiusque litterati orbis ſydus ſplendidiſſimum, tum patriæ ſuæ ornamentum juxta ac firmamentum ſummum futurus. Avus *Noſtro* ſuit *Antonius* VELSERUS, S.C.M. Conſiliarius, & Conſul Reipublicæ *Auguſtanæ*; avia *Felicitas* PAUMGARTNERIA (*): Pater vero *Matthæus* VELSERUS, Reipublicæ *Auguſtanæ* Septemvir, ut vocant; mater *Anna* BIMLIN (*d*) connubiali fœdere anno 1550. die 7. Maii mutuo juncti (*e*). Fratres habuit ſororesque plures, quos inter

SARIUM famoſiſſimum belliducem generis hujus ſatorem jactantius quam verius fecerint, ipſi tamen VELSERI a tanta nequaquam vetuſtate, ſed duntaxat ab anno 839. & *Philippo* quodam VELSERO originem gentis ſuæ ſibi repetendam duxere. Vide *Arborem genealogicam Velſerianam*, quæ æri inciſa habetur.

(*c*) *Melch.* ADAMUS in *Vitis Juriſconſultorum*, & qui hunc exſcripſit *Paulus* FREHERUS in *Theatro Eruditorum*, *p.* 1004. *Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Vita Marci* VELSERI, *p.* 4. quem minus bene ſcripſiſſe, argute obſervat *Jacob.* BRUCKERUS in *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit*, *p.* 67. *n.* (*g*): *Noſtrum anno ſæculi XV. octavo & quinquageſimo natum eſſe*; cum ſcribere debuiſſet: *anno poſt ſæculum XV. &c.*

(*) Ita docet Epitaphium in ædicula *S. Severini* extans. V. *Dan. Praſchii Epitaph. Auguſt. P. I. p.* 290.

(*d*) De Gente patritia PIMMELORUM videri poterit *Paulus a* STETTEN *junior* in *Geſchichte der adelichen Geſchlechter der Stadt Augſpurg*, 4*to*. *p.* 290.

(*e*) Ita teſtatur Liber anecdotus: SCHELLENBERGER *Hochzeit - Regiſter*. Epitaphium *Matthæi* VELSERI & uxoris ejus, grata Liberorum pietate poſitum, exhibet *Dan.* PRASCHIUS, *l. c. p.* 88. in hæc verba perſcriptum:

CHRI-

ter hoc loco nominatim memorandi mihi veniunt: *Antonius* Præpoſitus *Friſingenſis*, de quo præcedenti paragrapho egi; *Matthæus* ac *Paulus*, de quibus poſtea dicturus ſum, utpote *Noſtro*, præter ſanguinis vinculum, doctrina inſuper amoreque litterarum quam conjunctiſſimis, & (ut verbis *Chriſtoph.* ARNOLDI in *Vita Noſtri*, *p.* 50. utar) *ejusdem eruditionis ac diligentiæ Sodalibus chariſſimis.* De reliquis, non eſt, cur pluribus differam; quod non genealogicum ſed litterarium Opus condere, mihi in animo ſit. Quapropter de his accuratius, cognituri *Arborem geneologicam Velſerinam* conſulere non graventur.

De pueritia *Noſtri* nihil conſtat; maximam tamen veri ſimilitudinem habet, eum, quod capaciſſimum ac præſtans ingenium mature aperteque

CHRISTO. FIDELI
MATTHAEVS. WELSER. ANT. F
VII. VIR. REIP. REG.
ET. ANNA. PIMLIN. JOANN. F
RARI. EXEMPLI. CONJVGES
HIC. SITI. SVNT
POST. ANNOS. XXVII
PRIMVM. INTER. EOS. DISCIDIVM
CVM. HVIVS. MORS. PRIOR
ILLUM. DOLORE
ILLIVS. PAVLLO. POSTERIOR
REMP. DAMNO. INCOMP. AFFEC
VIXIT. ILLE. ANNOS. LV. D. XI
OBIIT. ANNO. MDLXXVIII. A. D. X. KL. FEB
VIXIT. HAEC. AN. LIV. M. IV. D. XXVI
OBIIT. AN. MDLXXVII. A. D. XVII. KL. JVN
IX. SVPERSTITES. LIBERI
PARENTIB. OPTIMIS. DVLCISS. P
H. M. H. S

oſtenderet, quamprimum per ætatem licuit, ad optimas artes diſcendas applicitum fuiſſe (**). Procedentibus annis in Ludo *San - Annæano*, ſub *Hieronymo* WOLFIO, & *Simone* FABRICIO, doctrinæ, qua poſtmodum per totam late Europam inclaruit, fundamenta poſuit; ſi quidem *Jacobo* BRUCKERO (*f*) fidem habemus, iſtud ex eo, quod Schola illa tum temporis abs catholicæ ſimul ac acatholicæ partis diſcipulis promiſcue frequentari conſueverit, conjicienti potius, quam probanti. *Ab usque fere pueritia* autem *Senecam* in deliciis ſeſe habuiſſe, in *Epiſtola* ad *Juſt.* LIPSIUM (Vide *Opp. Noſtri*, *p.* 824.) aperte ipſe de ſe profeſſus eſt. Certiora, ſed perpauca, de adoleſcentia *Noſtri* ſuppetunt. Hanc is in *Italia* inter varias litterarias occupationes ſumma cum diligentia, nec minore fructu transegit: Certe in hac, Virorum doctiſſimorum, & famoſiſſimorum Profeſſorum per id ætatis feraciſſima, regione veræ eruditionis & ſcientiarum, quem a teneris unguiculis prodiderat, guſtum ad eam perfectionem ſubtilitatemque adduxit, quam poſtea orbis obſtupuit. Sed de his prolixius tractandi occaſio inferius *Sectione II.* recurret, ubi de ſtudiis, doctrinaque *Marci* noſtri agetur.

Relicta *Italia*, in qua plurium annorum ſpatio manſerat, viam in *Germaniam* remenſus eſt *Noſter*, multifariæ doctrinæ ſubſidiis quibusve inſtructus quam maxime. Quo anno id factum ſit, in incer-

(**) Vide *Groſſes Univerſal - Lexicon. Leipzig. Tom. LIV. pag.* 1625.

(*f*) In Libro: *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit*, *p.* 68.

incerto eſt. Solo autem patrio redditus, deque re uxoria cogitandum ſibi ducens, anno 1583. menſe Octobri (*g*) cum *Anna* MAYIN nobiliſſimo itidem genere orta (*h*) matrimonium inivit. Ea ſola re infauſtum connubium hoc extitit, quod prolis foecunditate caruerit, negatumque ſit *Noſtro*, filium poſt ſe relinquere, qui paternæ virtutis atque doctrinæ hæres eſſet. Auctus uxore *Marcus*, quas patriæ utilitatibus dudum devoverat, ingenii animique vires eisdem tuendis amplificandisque ſtrenue impendere coepit: &, quod tum claritudo natalium, tum doctrinæ, qua præſtabat *Noſter*, magnitudo planam ei atque expeditiſſimam ad dignitates honoresque viam feciſſent, intra breve admodum temporis ſpatium ad graviſſima Reipublicæ munia admotus fuit; quæ, quoniam *Chriſtoph.* ARNOLDVS (*i*) haud ſatis accurate percenſuit, ideo *Jacobum* BRUCKERUM (*k*) hæc eadem ex purioribus fontibus exactiſſime indicantem ſequi omnino debemus. Igitur anno 1584. in *Dicaſterium* patrium ſive *Judicium urbicum* (Qui primus ad majora ituris gradus in civitate *Auguſtana* eſſe ſolet) aſſumptus (*l*), atque inde anno 1592. in *Senatum*, exte-

(*g*) SCHELLENBERGER *Hochzeit - Regiſter MSS.* ad hunc annum.

(*h*) De Gente MAYANA legatur *Paulus a* STETTEN *junior* in *Geſchichte der adelichen Geſchlechter von Augſpurg*, *pag.* 272.

(*i*) In *Vita Noſtri*, *Opp. Noſtri*, præfixa, *p.* 46.

(*k*) In *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit*, *pag.*68.

(*l*) *David* LANGENMANTEL *Hiſtorie des Regiments in der Stadt Augſpurg*, ad finem. Liber vulgo dictus: *Das Augſpurgiſche Stadt - Pfleger - Buch. Corb.* KHAMM *Hier. Aug. P. I. p.* 409. Hic errat *Chriſtoph.* ARNOLDUS, *ponens annum* 1589.

exteriorem ſcilicet, promotus fuit (*m*). Anno 1595. immo jam anno 1594. *Conſulem* Reipublicæ patriæ egit(*n*). Anno vero 1598.in venerandum *Septemvirum* collegium aut (ſi mavis) *Senatum interiorem* adlectus (*o*): biennioque poſt (anno ſcilicet 1600) ad *Duumviri* Reipublicæ *Auguſtanæ* dignitatem extraordinaria electione evectus eſt (*p*): quæ ipſa

(*m*) ARNOLDUS, KHAMMIUS, & LANGENMANTEL, *loc. cit.* Hic errat Liber: *Das Stadt - Pfleger - Buch*, ponens annum 1596.

(*n*) Docet hoc *Dav.* HOESCHELIUS, qui in Dedicatione ad HIERAPPOLLINIS *Hieroglyphica*, data IV. Idus Auguſti, 1595. *Noſtrum* titulo *Conſulis Reipubl. Auguſt.* honorat. Idemque HOESCHELIUS in *Catalogo Codd. MSStorum Biblioth. Auguſtanæ* 1595. ad *Hieronymum* COMMELINUM ait, ſe id laboris juſſu *Marci* noſtri, *Conſulis Reipubl. Auguſtanæ*, ſuſcepiſſe. Confer titulum & dedicationem Operis: *Engelb.* WERLICHII *Augſpurgiſche Chronica.* in *folio.* & *Jac.* BRUCKERUM in *Ehrentempel &c. p.* 68.

(*o*) Liber: *Das Stadt - Pfleger - Buch*, & qui hunc ſequendum cenſet *Jac.* BRUCKERUS *l. c. Chriſtoph.* ARNOLDUS ad *Septemviratus* honorem *Noſtrum* jam anno 1595. perveniſſe male ſcripſit, vim vocis: *Conſul*, minus accurate cognitam habens. Aliud eſt, eſſe *Conſulem*: aliud eſſe *Septemvirum Auguſtanum*. Fuit *Noſter* anno 1595. *Conſul*: *Septemvir* primum anno 1598. factus eſt: niſi fidem habere præplaceat *Corb.* KHAMMIO, qui *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 409. *Septemvirum* jam anno 1596. renunciatum eſſe teſtatur; cui aſſerto ſolus Liber: *Das Stadt - Pfleger - Buch*, & *Jac.* BRUCKERUS obſtant, minime vero annorum computus.

(*p*) *Chriſtoph.* ARNOLDUS, *Jac.* BRUCKERUS *loc. cit. Paulus a* STETTEN *ſenior* in *Hiſtorie der Reichsſtadt Augſpurg*, *Tom. I. p.* 758. ubi extraordinariæ electionis hujus cauſſam ſequentem aſſignat: *Anno* 1600. *den* 31. *Auguſti gieng der Stadt - Pfleger Octavian Secundus Freyherr Fugger ... mit Tod ab. Weil nun dieſer, ſo fruhezeitig* nach

ipſa dignitas eo magis ſuſpicienda eſſe videtur; quod *Conſiliarii* inſuper *cæſarei* honorem adnexum ſemper habeat.

In his autem muneribus ſancte adeo probiterque verſatus eſt *Noſter*, ut, etſi a nonnullis incuſatus fuerit, ac ſi, juxta cum fratribus, partis acatholicæ civibus infenſiorem ſe præbuiſſet, aulæque imperatoriæ invidiam in eos concitare adniſus eſſet; tamen hanc accuſationem in *Noſtrum* neque *Paulus a* STETTEN *ſenior*, (*q*) neque *Jacob.* BRUCKERUS (*r*) aſſerendam, ſed eam in medio relinquendam eſſe cenſuerint. Immo laudatus BRUCKERUS, *Noſtrum*, ſingulari apud aulam Cæſaream gratia exiſtimationeque valentem, permagno patriæ emolumento fuiſſe (*s*) affirmat, probans inſuper ex arcta amicitia, quam cum permultis Eruditis acatholicis fovit *Noſter*, eum a partium ſtudio oppido alienum fuiſſe. Immo quantum ab hoc abhorruerit, ipſemet VELSERUS ſatis declaravit, dum huic vel in Re litteraria locum nequaquam dandum eſſe GOLDASTO (V. *Opp. Noſtri*, *p.* 858.) ſcripſit: *Quod Germanicarum Legum vetera monumenta promittis, valde te amo; quin quoque conſilium*

L 4 *laudo*,

nach der gewöhnlichen Rathswahl, geſtorben, und der Rath davor gehalten, es wurde der Stadt fürträglicher ſeyn, wann dieſe Stelle baldmöglichſt . . . erſezt würde . . . ſchickte er D. Auguſtus Mayern an den Kayſerlichen Hof. . . daß der Kayſer erlauben möchte . . . eine auſſerordentliche Stadt-Pflegerswahl zu halten. . . . Solchemnach wurde bey der den 31. *Octobris gehaltenen erſten auſſerordentlichen Stadt-Pflegerswahl dieſe Würde dem wegen ſeiner Gelehrſamkeit überall berühmten Marx Welſer aufgetragen.*

(*q*) *Hiſtorie der Reichs-Stadt Augſpurg*, *Tom. I. pag.* 810.

(*r*) *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit*, *pag.* 69.

(*s*) *Ibidem.*

laudo, quod quæ Religionis mutationem reſpiciunt, odii nimirum & invidiæ ſeminaria, excludis. Utinam idem in Alamannicis *ſecutus eſſes !* Præterea *Noſtro* objectum probrum plane retundunt verba *Melchior.* ADAMI (*t*) teſtis ſynchroni, ſcribentis: *Poſtea & patriæ, quæ maximam ſibi ortus Noſtri* (VELSERI) *partem vendicat, operam impendit præclariſſimam. Dum conſulatum geſſit: dum Septemvir: tandemque Duumvir factus abſolutiſſimum boni magiſtratus exemplar præbuit, omnibus amabilis, omnibus utilis, nulli gravis.* ADAMO accedit *Chriſtoph.* ARNOLDUS (*u*) in hæc verba loquens: *Honores hoſce, gradatim ſingulos aſſecutus, ſuis cervicibus, tanta munia, atque Rempublicam ad annum usque* 1614. *conſideranter & manſuete ſuſtinuit.* Cum ADAMO & ARNOLDO concordat Liber: *Das groſſe Univerſal-Lexicon. Leipzig. Tom. LIV. p.* 1625. ubi ſequentia lego: *Er behauptete alle dieſe Titel* (Würden) *mit vielem Ruhme, und war die Zierd ſeines Vatterlandes.*

Hac ratione dum patriæ utilitatibus conſulit, communique civitatis ſibi concreditæ bono ſedule invigilat, tum publicis tum privatis curis conſumitur (*x*). Quare ſuam indies valetudinem ire in peius

(*t*) In *Vitis JCtorum pag.* 220.

(*u*) In *Vita M.* VELSERI, *pag.* 46.

(*x*) Graviſſime podagra laboraſſe *Marcum* noſtrum, teſtatur *Chriſt.* ARNOLDUS, *Jac.* BRUCKERUS, *l. c. pag.* 68. Ipſe denique VELSERUS ſe in *Epiſt.* ad *Matthæum* RADERUM anno 1614. die 21. Maii, paulo ante mortem ſuam, *incredibilibus morbi cruciatibus, a quibus nullum temporis momentum vacabat, conflictatum* prodidit: Vide *Præfationem Annal. Boicorum Noſtri*, a *J. C.* LIPPERTO editorum. *Paulus a* STETTEN *ſenior*, *l. c. pag.* 806. 810. non

peius ſentiens, anno 1613. menſe *Maio*, quod cum animo ſuo ceperat, abdicandæ duumviralis dignitatis conſilium Patribus conſcriptis aperit (*y*) quod cum his nequaquam probaretur, rogareturque *Noſter*, ut Reipublicæ præeſſe longius ne gravaretur, ſuaſionibus multorum ac precibus demum cedens, eam dignitatem in annum usque 1614. retinuit, quo ipſo, ad diem 23. Junii, hora 4. matutina, inexſpectata morte deceſſit, annum ætatis 56. agens (*z*). Potiſſimum mærore, quem conceperat, animi tum ſuam tum fratrum ſuorum *Matthæi* & *Pauli* rem domeſticam valde afflictam videns, confectum fuiſſe monuit *Paulus a* STETTEN *ſenior* (*a*). Nec multum abludunt verba *Melch.* ADAMI (*b*) dicentis: *Noſtrum* vitam finiiſſe *perturbatis nonnihil facultatibus ſuis.* At neuter horum Scriptorum cauſſam aperuit, quæ eundem in tantas rei familiaris anguſtias redegit: *Petrus* BAYLIUS (*c*) vero haud obſcure indicat, eum litteras litteratosque (fortaſſis nimie) fovendo facultates ſuas attriviſſe.

Hunc vitæ curſum finemque habuit *Marcus* VELSERUS, *Vir nobiliſſimus*, & *incomparabilis;* L 5 *Hiſto-*

non tam corporis, quam animi ægritudine quadam conflictatum fuiſſe, contendit.

(*y*) *Paulus a* STETTEN *ſenior*, *l. c. p.* 806.

(*z*) *Carol.* STENGELIUS *Comment. Rer. Auguſt. p.* 326. 327. *Corb.* KHAMMIUS *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 409. *Paulus a* STETTEN *ſenior*, *l. c. p.* 810. *Melchior* ADAMUS *in Vitis JCtorum pag.* 220. *Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Vita Noſtri*, *pag.* 66. qui duo poſtremi falſo diem *Marci* noſtri mortualem *decimam tertiam* Junii faciunt, cum *vigeſimam tertiam* ſcribere debuiſſent.

(*a*) In *Hiſtorie der Stadt Augſpurg*, *Tom. I. p.* 810.

(*b*) In *Vitis JCtorum p.* 220.

(*c*) *Dictionnaire hiſtorique*, *Tom. IV.*

Hiſtoricus ſummus & in omni antiquitate verſatiſſimus; toto orbe Chriſtiano celeberrimus; illuſtre patriæ noſtræ ſydus, & orbis eruditioris decus immortale; ob reconditam admirandamque doctrinam, quam ſuſpexere Principes (*) *ipſique adeo Reges eum inſtar oraculi conſulentes, & quique viri doctiſſimi in cælum laudibus evexere, quam divinis ingenii monumentis prodidit, ſæculi ſui* TACITUS *non immerito appellatus* (*d*). *Vir major invidia, major fortuna omni; lumen patriæ; ſydus doctrinæ; cujus ſapientia in deliberando luculentiſſime eſt declarata, judicii dexteritas in conſulendo probata, ut Delphici Apollinis elogio jure meritoque gaudere poſſit:*

A me omnes populi conſilium expetunt
In litteris incerti; quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotesque conſilî
Dimitto.

Princeps Litteratorum Germaniæ (*e*). *Vir eruditiſſimus, eminenti ac ſublimi ingenio, judicio acutiſſimo, vivida mentis acie, memoria denique immenſa ac incredibili, in quo cum natura ipſa tum ars atque inſtitu-*

(*) De favore & benevolentia, qua *Noſtrum Ferdinandus* MEDICES magnus *Hetruriæ* Dux dignatus eſt, teſtatur *Bernardinus* BALDUS in *Dedicatione* ad Librum *de Verborum Vitruvianorum ſignificatione.* De Aula *cæſarea* & *Bavarica* idem conſtat. Quod vero de *Carolo V.* erga *Noſtrum* favore memorat *Nic. Hier.* GUNDLING in *Hiſt. der Gelahrtheit*, *p.* 3922. falſiſſimum eſt; cum *Carolus* jam anno 1558. fatis ſupremis deceſſerit. Pariter errat GUNDLINGIUS, dum VELSERIAM, quæ *Ferdinando*, *Auſtriæ* Archiduci nupſit, *Annam* vocat; cum *Philippina* vocata fuerit.

(*d*) His encomiis *Noſtrum* ornat *Carol.* STENGELIUS l. c. Confer *Jac.* BRUCKERI *Ehrentempel &c. p.* 71.

(*e*) Ita *Melchior* ADAMUS in *Vitis JCtorum* de *Noſtro.*

ſtitutio virium ſuarum periculum feciſſe videntur, ut pateſceret, ad quantam perfectionis celſitatem adduci atque levari mens humana valeat. Vir præſtantiſſimus, qui paucos ſibi pares, nullum ſuperiorem habuit (f).

Exanime *Noſtri* corpus, in *D. Mariæ Magdalenæ*, Ordinis *PP. Prædicatorum*, templo tumulo conditum requiem invenit (*g*). Epitaphium *Noſtri* poſteris transmiſerunt *Daniel* PRASCHIUS (*h*) temporum illorum æqualis, & *Joannes* TONJOLA (*i*) nonnihil alteratum. Eſt autem tale:

MARCE VELSERE!

Te fortem, pium, beatum, cælo receptum
ſi lugeamus, nefas.
At publica damna, publicam jacturam
niſi lugeamus, quantum nefas!
Tibi Religio, cui tu patronus,
Pietas, cui tu vindex,
Studium boni & æqui, cui tu aſſertor,
nuper fueras,
certatim funus ducunt.
Dicunt tuas laudes uno ore
Modeſtia, Candor, Ingenuitas.
Tibi patria effuſis comis, demiſſo vultu
lacrymabunda præfert clavum ſolutum,
faſces inverſos.

Ponit

(*f*) Hoc ſignificantiſſimo elogio Noſtrum condecorat *Jacob.* BRUCKERUS, in *Ehrentempel &c. p.* 69. 70.

(*g*) *Carol.* STENGELIUS, *l. c. Groſſes Univerſal - Lexicon.Leipzig. Tom. LIV. p.* 1627.

(*h*) In *Epitaphiis Auguſtan. Tom. I. p.* 323.

(*i*) In *Baſilea ſepulta retecta &c. ad calcem. p.* 75. Confer, ſi lubet, *Corb.* KHAMMII *Hierarch.Auguſt. P. I p.*409.

Ponit eadem Tibi
Titulos amoris & caritatis
ſupra omnia exempla,
Titulos lectiſſimi Civis, qui Patrem induerat,
Titulos optimi Patris, qui Dominum exuerat.
Merito. Merito.
Te Germania ſidus ſuum, ſibi extinctum,
Te Italia alumnum ſuum, ſibi ereptum,
juſtiſſimis fletibus conqueruntur.
Subeunt feretrum tuum Fama per te conſtantior,
Honos per te illuſtrior,
Virtus per te nobilior,
Gloria per te ſolidior.
Te illæ tibi congenitæ,
Illæ tibi coalitæ ſolertia & elegantia,
Florem ingeniorum,
Suadæ medullam,
Faſtigium litterarum
fuiſſe,
Notis perpetuo manſuris conditorio inſcribunt.
Ah nimis ex vero illud *fuiſſe*!
Fuiſti enim, & tecum una fuerunt
Deliciæ, Lepores,
Veneres ſobriæ & caſtæ eruditionis,
Vis doctrinæ, Pondus ſapientiæ,
Quæ tu alio migrans tecum extuliſti omnia.
Heu perniciem! Heu cladem!
Heu nos in tua felicitate infelices!
Studia laudata, Artes ingenuæ,
Theſauri eloquii & mentis,
Aeternum abiiſtis!
Philologia, Muſæ, Charites,
Aeternum periiſtis!
MARCUS VELSERUS DUUMVIR AUGUSTANUS
Obiit 23. Junii M DC XIV.

Eſt

Eſt autem hoc non tam Epitaphium, quam Leſſus a *Laurentio* PIGNORIO *Patavino* in *Noſtri* laudes conſcriptus, quem poſt *Georg.* REMUM *Chriſtoph.* ARNOLDUS inter *Marci* VELSERI *Manes* (*k*) exhibet, quin vel unico verbo moneat, illum *Noſtro* Epitaphii loco poſitum fuiſſe. Hunc tamen ego hic apponere ob id maxime, ne quis *Marci* laudibus a me quidquam detractum criminetur, volui ſecutus PRASCHIUM & TONJOLAM; etſi ſit, cur dubitem, an is lapidi inciſus unquam extiterit? Hodie certe non amplius extat (*l*), &, licet ſtudioſe indagans, ne volam ſaxi alicujus ſepulchralis *Noſtro* poſiti repperire potui.

Itaque ad certiora convertor. *Laurentii* PIGNORII exemplum imitati complures amicorum, *Noſtri* morte comperta, ſibi prius quieſcendum non putarunt, quam laudes ejus certatim vario carminum genere concinentes tanti Viri memoriam æternitati conſecraſſent. Sunt iſti *Simon* TOELMANNUS, *Janus* GRUTERUS, *Michael* PICCARTUS, *Georg.* REMUS (*m*) qui ipſe Carmina exſequialia in *Noſtrum* ſcripta collegit, inſcriptaque *Davidi* HOESCHELIO, publicavit hoc titulo: *Marci* VELSERI *Aug. Vind. II. Viri, Præfectique VII. Virum Collegio Manes ab amicis manibus &c.* aliique. His deni-

(*k*) Poſt *Vitam M.* VELSERI; Imo idem ARNOLDUS de quoquam Epitaphio, ſive hoc ſive alio, *Noſtro* poſito altum ſilet.

(*l*) Hinc corrigendus Liber: *Das groſſe Univerſal-Lexicon. Leipzig.* 1747. *Tom. LIV. p.* 1627. docens: Epitaphium hoc *Noſtri* in Eccleſia *PP. Prædicatorum Auguſtæ* exſiſtere.

(*m*) De hoc Viro doctiſſimo egi in *Bibliotheca* mea *Auguſtana*, *Alphabeto I.* quam conſule *pag.* 149. & 163.

denique acceſſit *Juſtus* RYCQUIUS *Gandenſis*, cujus *Pietas in funere Marci* VELSERI *ad Jo.* BRANTIUM *Senatui Antverpienſi ab Actis* a *Chriſtoph.* ARNOLDO, ante *Manes* ejusdem VELSERI mox memoratos, recuſa exhibetur.

Fuit autem *Marcus* VELSERUS ſingulari pietate præditus, quam in *Noſtro Jacob.* GRETSERUS (*n*) ſequentibus deprædicat: *Sunt majora, quæ & ego magis in te colo ſuſpicioque, pietatis erga Deum Cælitesque ſingulare ſtudium; priſcæ fidei ardens amor; in Sacris catholicis obeundis frequentia; veræ & ab ævo apoſtolico ad hanc noſtram usque ætatem deductæ Religionis publica eaque non rara profeſſio: ejusdemque, qua tempora & mores ſinunt, amplificandæ & propagandæ incenſum deſiderium.* Fuit juſtitiæ, quæ ſola virtus, ſi in Optimate reſidet, omnium inſtar eſſe poterit, aſſertor conſtantiſſimus; prout ſuperius ex ADAMO & ARNOLDO pluribus monſtravi. Fuit modeſtiæ cultor eximius, *ab omni faſtu & jactantia remotiſſimus:* Hæc ipſa laudis abſtinentia fecit, ut nihil ille de ſe ſuisque meritis ſcripto traditum reliquerit, & pauca, quæ de his ad poſteros transfuſa ſunt, aliis Scriptoribus, temporum illorum æqualibus, accepta referre debeamus: Hæc fecit, ut laudes, quibus eum Viri eruditi in ſuis *Dedicatoriis* affecerant, modeſte admodum deprecaretur (**). Hæc fecit, ut ſe pingi vel fingi renue-

(*n*) In *Dedicatione* ad ANASTASII *Sinaitæ Ducem Viæ* a ſe 1606. editum.

(**) Sic GOLDASTUM partem *Parœneticorum* dedicantem *Noſter* his verbis redarguit: *De Parœneticis amo vos, etſi rubore perfuſus; nam ſi ærea frons ſit, non duret ad poſtremam Dedicationis pagellam. At ego affectum, non rem ſpecto, &, quo longius a vero in hac cauſſa abis, eo me tibi plus debere ſentio.*

renuerit, ipſique PEIRESCIO, id efflictim petenti, per OCCONEM noſtrum renunciari juſſerit: *Cato major poſteros volebat quærere, cur ſibi ſtatua nulla poſita? Mihi contra, quantum video, cavendum, ne quis aliquando miretur, ſi non & indignetur; qua ambitione conſortio magnorum Virorum, quorum imagines ſe colligere* FABRICIUS *oſtendit, irrepſerim* (o). Fuit denique candore animi miro, mira fide, & priſcis per omnia moribus. Hinc ſupra laudatus *Juſtus* RYCQUIUS de noſtro canit:

Et tecum probitas, *noſtroque incognitus ævo*
Candor, *&* antiquæ Simplicitatis *opes.*

RYC-

(o) Ita teſtatur *Chriſtoph.* ARNOLDUS in Vita *Noſtri*, ex GASSENDO *Vitæ* PEIRESCII Scriptore. Item *Melch.* ADAMUS in *Vit. JCtorum p.* 220. *Jac.* BRUCKERUS in *Ehrentempel &c. p.* 67. Interim PEIRESCIUS, propoſiti ſui tenax, *Noſtrum neſcientem pingi procuravit conducto artifice, qui vultum ipſius* in templo morantis *ex clandeſtino ſpectaret.* Confer *Nicol. Hieron.* GUNDLINGIUM in *Hiſtorie der Gelahrtheit, p.* 3922. Mutaſſe vero *Noſtrum* mentem ſuam, *Juſtoque* LIPSIO effigiem ſuam ſubmiſiſſe ex *Epiſtolis Noſtri* (V. *Operum ejus, p.* 824. 825.) eruere conatur *Jac.* BRUCKERUS, *Ehrentempel, p.* 67. *nota* (*d*). At *Epiſtolæ* hæ tam obſcure atque ambigue de iſta re loquuntur, ut nihil inde certi erui poſſe mihi videatur. Utcunque hoc ſit, *Lucas Kilian*, calchographus *Auguſtanus* percelebris, quandam *Noſtri* effigiem æri inſculptam publico dedit: e qua reliquæ deſumptæ, quæ apud nos viſuntur. Quædam *Noſtri* effigies, an hæc, an alia (neſcio) coloribus depicta in Bibliotheca *Ambroſiana Mediolani* ſervabatur, de qua *Petr. Paul.* BOSCA *de Orig. & Statu Biblioth. Ambroſ. p.* 21. ſequentia habet: *Et nos quidem, cum pictam Tabulam, quæ expreſſam illius* (Marci VELSERI) *imaginem refert, in Ambroſiano Muſæo ſpectamus, gravitatem eam ex oculis conjicimus, & ex oris ipſius majeſtate vim litteraturæ ac conſilii in adminiſtranda Vindelicorum provincia deprehendimus.*

RYCQUIO conſonat *Janus* GRUTERUS, dum de *Noſtro* in hæc verba ſcribit:

Si qua eſt Fides,
Si quis eſt Candor *ſuperſtes noſtro in orbe* . . .
- - - - *reſedit corde utrumque adhuc tuo.*

Vidimus, benevole Lector! de Vita, Obitu, Dotibus atque Virtutibus *Marci* VELSERI. Videamus modo, ſi placet, de Studiis, Doctrina, Amicis *Noſtri*, deque ejus in Litteras & Litteratos Meritis.

Sectio II.

Studia Noſtri, Doctrina, Amici, Merita in Rempublicam litterariam.

De Studiis, Doctrina, Amicis, & Meritis VELSERI in Rempublicam litterariam dicturus, campum ſpatioſiſſimum ingredior, quem ſine duce emetiri me poſſe vix ſperem. Itaque dux princeps mihi ſit *Chriſtoph.* ARNOLDUS: huic deinde ſuccedant alii, viæ non plane ignari. Sic me ad optatam curſus propoſiti metam tuto perventurum confido.

Prima ſtatim ætate Noſter *humaniſſimas illas, elegantiſſimasque litteras, quibus tanquam Jovis poculo pectus alebat, cum aliarum pulcherrimarum liberaliſſimarumque artium ſtudiis copulavit atque conjunxit* (*a*), de qua re paucula ſuperius attigi, amplioribus

(*a*) *Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Vita Noſtri*, *Operibus ejus* præmiſſa, *p.* 42. Cum ARNOLDO plane conſentit *Melch.* ADAMUS in *Vit. JCtorum p.* 219. dicens: *A teneris, artium ac virtutum ſtudiis excoctus maturitatem ingenii, judicii, & doctrinæ feliciter eſt conſecutus: nec imitatus eos, qui, ſibi ac ſuis Camoenis nati, inglorio in otio conſeneſcunt, omnemque ſcientiam vita umbratica finiunt, aut bracteatis næniis metiuntur. Vivido hic virtutis ardore ſtatim

bus notitiis , proh dolor! deſtitutus. Labente autem tempore, anno ſcilicet 1575. *Italiam, illam Germanorum eruditricem regionem, ingreſſus magiſtrum prælectoremque in arte dicendi habuit celeberrimum Antonium* MURETUM,tantique Viri familiaritate tum ſuaviſſima tum ſibi fructuoſiſſima annis 1576. 1577. 1578. plurimum uſus eſt. Horum omnium teſtem maxime idoneum habemus *Marcum Anton.* BONCIAPIUM (*b*) commilitonem *Noſtri* , in hæc verba ei ſcribentem : *Heri veſperi cum clariſſimis adoleſcentibus Jo. Bapt. Reimboldo & Jo. Bapt. Velſero, arctiſſima Tecum propinquitate conjunctis longum ſermonem habui, Lud. Migliorio Tibi cognito probatoque amicitiam conciliante. Quo quidem in congreſſu cum multa fieret de Te mentio, cujus ego ſingularem probitatem, doctrinam,dignitatemque prius fama, mox e ſcriptis Lipſianis cognitam haberem; paullatim eo ventum eſt conjectando, ut etiam in condiſcipulatu notuiſſe alter alteri videremur. Fuimus enim Romæ luſtrali* (puta jubilæo) *anno anteproximo* (*c*), *& ſimul* MURETO *docenti operam dedimus, ego ad totum ſeptuageſimum ſextum, Tu biennio amplius; ut quidem tui memorabant. Nec eſt dubium, quin inter ea ſæpe locuti fuerimus inter nos; cum & Tu*

tim ſe in lucem protulit, patriæque Reipublicæ, ac litterariæ totum impendit.

(*b*) *Epiſtol. Lib. IX.* 12.

(*c*) *Jac.* BRUCKERUS in ***Ehrentempel &c. p.*** 68. itineris ſocium *Noſtro* fuiſſe *Jo. Bapt.* REMBOLDUM ſcribit; ſed vereor, ne iſtud ex male intellecto , quem ſuperius allego, loco faciat; cum reliqui Scriptores omnes de hoc altum ſileant: & allegatus locus ipſe contradicat, ex quo liquet, REMBOLDUM multo poſt tempore, quam *Noſter* in *Italia* fuit, cum BONCIARIO collocutum eſſe.

Tu eſſes MURETO *familiarior ; & ego ad illum crebrius cum Laurentio Pariſiolo , vel cum Angelo , & Gisberto de Oddis ventitarem. Quanquam ego (ne mentiar) propter illam plane puerilem ætatem memini , non memini , nobiliſſimum adoleſcentem e Germania Romam idcirco advectum , ut audiret magnum* MURETUM. *Poſtea vero quam fuiſſe illum ipſum Te ſuſpicor (ut ſibi amor favet interpretando) certas repperi conjecturas de facie , de oculis , de ſermone. Cognomen ipſum Tuum , in memoriæ angulo latens , erui : & Te totum mihi repinxi , qualem Te antea vidi. Grata eſt recordatio, ſive non vidi , gratus error , & ſpecies quædam recordationis.* Hucusque BONCIARIUS , etſi nonnihil prolixius.

VELSERUS noſter poſtquam ſemel ſecum deſtinaſſet , omne temporis , quo *Romæ* atque in *Italia* , quam luſtrando (*d*) pervaſit , moraretur , ſpatium collocare quam optime ; omni contentione , aſſiduitate omni in id incubuit , ut multiplici doctrina , variisque ſcientiis ingenium ſuum perficeret atque expoliret. Qua re id eſt conſecutus , ut nominis *Velſeriani* gloria cito per *Italiam* increbeſceret , indeque paullo poſt per totam late *Europam* diffuſa manaret : adeo ut fere nullus fuerit , *cui ſaltem Muſarum , Charitumque nomen auditum* , ad quem volitans per ora hominum fama *Noſtri* minus perveniret. Enituerunt autem in illo, præcipue *ſermonis latini italique cognitio* admiranda ; *eloquentia* ſingularis;*hiſtoriarum & rei antiquariæ ac criticæ ſcientia* incomparabilis.

Atque ut de primo dicam ; quantum *latine ſcribendo* valuerit *Noſter* , ſatis teſtatur LINGELSHEMIUS

(*d*) *Jac.* BRUCKERUS , *l. c.*

MIUS in *Epiſt.* 38. ad BONGARSIUM ſcribens: *Dictio ejus* (VELSERI) *pura*, *propria*, *conſtricta; ſuperat* (*ita me rapit iſtius hominis vis*) *Antiquos.* LINGELSHEMIO ſuccinit *Melchior* ADAMI in *Vitis JCtorum p.* 220. his verbis: *Annales Boicos ſcripſit Libris quinque tanta perſpicuitate, tanta prudentia, tanto nitore, ut meditanti videantur aſtitiſſe hinc Muſæ & Gratiæ, hinc Conſus, Apollo, Suada, Venus.* Eſſent profecto, benevole Lector! quæ huc facientia afferre poſſem, plura; niſi præſentis Libelli anguſtiæ aliud ſuaderent, (*e*) eſſeque me breviorem cogerent.

Italici dein idiomatis peritia quanta fuerit in *Noſtro*, docet luculentiſſimo teſtimonio *Orlandus* PESCETTI (*f*), dum ait: *Se il Cavalier Guariſſi* (*g*) *Uomo pur Ferrareſe pregha . . . il Cavalier Salviati, che purghi il ſuo Paſtor fido da Lombardiſmi: e dell' Illuſtriſſimo Sig. Marco Velſero Duumviro della Republica Auguſtana, e chiariſſimo lume della Germania ſcrive all' Excellentiſſ. Sig. Chiocco, che le ſue lettere gli paiono dettate da Uomo nato ed allevato in Firenze.* Et inferius idem PESCETTI (*h*), quod ad Linguam italicam attinet, VELSERI judicium mille aliis anteponit, ſcribens: *Quando ogn' altra vi mancaſſe, quella del Sig. Marco* VELSERO,

M 2 *addie-*

(*e*) Conſulat, quiſquis de latini ſermonis, quæ in *Noſtro* reſedit, cognitione plura ſcire avet, *Chriſtoph.* ARNOLDUM in *Vita M.* VELSERI, p. 42. 43. ex quo ſuperiora deſumpſi: aut ipſa Opera legat, quæ a *Noſtro* latine extant.

(*f*) Vide Ejus *Riſpoſta all' Anticruſca del* BENI, *cart.* 16.

(*g*) *Guarini* legendum eſſe docet Liber: *Das groſſe Univerſal-Lexicon. Leipzig. Tom. LIV. pag.* 1625.

(*h*) Vide Ejus *Riſpoſta* &c. *cart.* 112. 113.

addietro mentovato, mi varebbe per mille &c. &c. PESCETTUM excipit *Nicol.* MANASSES, qui, dum Librum *de Viciſſitudine Rerum Ludovici Regii*, ex gallico abs *Hercule Cato* in italicum idioma verſum *Noſtro* dedicavit, eundem tum *italæ*, tum *gallicæ*, prætereaque aliarum graviorum & vetuſtarum linguarum (*) ſcientia antecellere multis, docuit: *Poſciache oltre alla cognizione, ch' ella ha delle piu gravi ed antiche lingue, e poſſedendo anco quella particolarmente, nella quale l' Opera fu da principio ſcritta, non meno che queſta della ſua nuova traduzione, ed oltra de' cio avendo (merce del ſuo elevato ingegno e de' continui ſtudii) fatto acquiſto di una ſcelta erudizione, potra eſſere egualmente ottimo cognoſcitore e giudice di queſti idiomi, ed inſieme delle belle materie e ſcienze, che vi ſi contengono.* Omitto ſtudioſe, quæ in hanc rem litteris tradita *Hieronymus* GHILINUS (*i*) nobis reliquit. Sed *Galilæi de* GALILÆIS ſplendidiſſimum teſtimonium ſilentio involvere nefas fore puto, qui, cur tres ſuas *de Maculis ſolaribus* Epiſtolas ad *Noſtrum* italico maxime ſermone ſcripſerit, hanc cauſſam affert: *Ma in oltre ci ho avuto un altro mio particolar intereſſe, ed è il non privarmi delle Riſpoſte di V. S. in tal lingua vedute da me e dagl' amici miei con molto maggior diletto e maraviglia, che ſe foſſero ſcritte del più purgato ſtilo latino, e parci nel leggere lettere di locuzione tanto propria, che Firenze eſtenda i ſuoi confini, anzi il recinto delle ſue mura, ſino in Auguſta.* Similiter *Angelus* GRILLUS Monachus *Caſinenſis* litteras a *No-*

(*) *Græcam* certe linguam bene calluiſſe *Noſtrum*, teſtatur *Nic. Hieron.* GUNDLING in *Hiſtorie der Gelahrtheit*, p. 3921.

(*i*) In *Theatro Eruditorum* italica lingua ſcripto.

a *Noſtro* ſcriptas *nuntia cæleſtia* vocare non dubitavit (V. *Opp. Noſtri*, *p.* 883.) dicens : *L' Ambaſciate celeſti*, *che tali ſtimo io le lettere di voſtra Signoria*, *non devono eſſere portate &c.* Hinc non eſt, cur mirer, *Noſtrum* ob italici potiſſimum ſermonis cognitionem dignum habitum fuiſſe, ut in *Academiam Lynceorum* (*k*) adlegeretur; prout affirmat Liber : *Das groſſe Univerſal - Lexicon. Leipzig. Tom. LIV. p.* 1625.

Eloquentiam porro *Noſtri* ſequentibus commendare minime intermiſit *Chriſtoph.* ARNOLDUS (*l*) : *Deleniſicam ejus facundiam omnes ſunt admirati.... Niſi me omnia fallunt*, *nec fallunt tamen*, *in mente* VELSERO *ſemper fuit illud Quinctiliani....* Vos vero, diſertiſſimi ! ut poteſtis, ut facitis, illuſtrate ſæculum noſtrum pulcherrimo genere dicendi : *Id vero pulcherrimum genus eſt*, *quod* vitæ nec ſcholæ *diſcitur. Hinc Belga ille prudentiſſimus Daniel Eremita in Epiſtola ad Camillum Guidium*, *ſcripta de Legatione magni Hetruriæ Ducis ad Rudolphum II. Cæſarem Auguſtum....* „ Auguſtam mox Vinde-

 „ lico-

(*k*) De hujus *Academiæ* origine ac inſtituto ita Liber: *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon. Baſel. Tom. IV.* LYNCEI *iſt der Nahme*, *welchen die Mitglieder einer zu Anfang des XVII. ſæculi zu Rom aufgerichteten gelehrten Geſellſchaft angenommen haben. Ihr Hauptabſehen geht auf die excolirung der hiſtoriſchen Wiſſenſchaften. Anſtatt eines Wappens gebrauchen ſie einen in Porphyr eingegrabenen Luchs*, *als von welchem Thier ſie auch ihre Benennung hergeholet, und mit beyden andeuten wollen*, *daß ſie ſich einer gleichen Scharpſſichtigkeit*, *als man dieſem Thier zuſchreibt*, *in ihren Unterſuchungen zu befleiſſen trachten.* Quæ hujus Academiæ membrum, *Angelus de Filiis*, in *Noſtri* laudem ſcripſit, habes apud ARNOLDUM in *Vita Noſtri*, *p.* 55.

(*l*) In *Vita Noſtri*, *pag.* 47.

„ licorum appulimus , ſtatimque aderant urbis „ Duumviri ; in quibus flos hominum *Marcus* VELSERUS , Vir , in quo nec invidia invenit , quod „ calumnietur. Legationis officio levi oratione „ peracto , in alia ſermonum itum , in quibus fere ſolus VELSERUS auditus eſt , reliquis admiratione viri & diſparitatis metu tacentibus. Nulla ea civitas benevolentiæ & humanitatis officia „ intermiſit ; quod & illi imputandum , quem *patrem patriæ* , ſicut *totius Germaniæ ornamentum* , „ non inepte indigites. “

Quid jam de *hiſtoriarum reique tum antiquariæ tum criticæ* cognitione in *Noſtro* dicam ? Hoc profecto ſtudii genus, præ reliquis cunctis , cordi maxime habuiſſe VELSERUM , vel id unum ſatis probat , quod de *Noſtro Nicolaus* ALEMANNUS (*m*) *doctum hunc peregrinatorem præ multis aliis , qui Italiæ gazas vel non curant , vel prorſus ignorant , ſummis laudibus extollens* , narrat in hæc verba : *Quid Noſtros hic ego dicam , cum e Galliis vel ex Germania eruditus vir nullus Romam profectus ſit , qui hujus Muſivi ſpectaculum præterierit. Duos commemorabo omnis antiquitatis curioſiſſimos juxta ac ſcientiſſimos : Marcum* VELSERUM *Duumvirum Auguſtanum* ... *& Nicolaum Fabricium Peireſcium.* Et paullo inferius ſubdit : *Id* (Opus) ... *plerique ante nos viri graviſſimi non otioſe contemplati ſunt ; ex quibus Marcus* VELSERUS , *cum abhinc annos fere quadraginta Romæ , ſapientum olim hominum more , peregrinaretur , ita oculis ac animo perluſtrare ſolebat , ut exemplum ſumma diligentia ac fide ſibi deſcribendum curaverit , doctisque viris paſſim ejus videndi copiam fecerit.* Neque hoc contentus fuit

(*m*) In *Diſſertat. de Parietinis Lateranenſ. c.* 10.

it *Marcus ;* ſed per totam *Italiam* remotiſſimæ vetuſtatis fragmenta (*n*) ſtudioſe conquirens, priſcas Inſcriptiones & antiqua Monumenta aut deſcribi aut delineari ſedulo curans, demum id eſt aſſecutus, ut in magno Opere *Inſcriptionum*, quod *Janus* GRUTERUS publicavit, partem permagnam habere meruerit. Nuperrime quoque eruditiſſimus *Anton.* ROSCHMANNUS in *Veldidena* ſua, *p. 67.* *Noſtrum* novo hoc & inſigni elogio ornavit: *Verumtamen quod in nummis non licuit, in lapidibus præſtitit* (VELSERUS) *imo ibi plus præſtitit, quam ſuo ævo omnis Litteratorum cœtus. Hiſtoriæ* vero omnis, tum ſacræ tum profanæ, *artisque criticæ* quam peritus extiterit VELSERUS noſter (ut alia taceam omnia) ſempiternum teſtimonium perhibent ejus, quæ manent, *Opera* : quorum accuratiſſimum elenchum inferius texere in animo eſt.

Excidiſſet pœne memoriæ ſtudium *Jurisprudentiæ*, quod *Noſtro* quam maxime cultum fuiſſe, vitæ actæ omnis ratio commonſtrat. Et quamvis non niſi unum in hanc rem argumentum (Ea haud moror, quæ ex Carminibus in *Noſtri* honorem ſcriptis elici poſſent. (Vide *M.* VELSERI *Manes.*) mihi ſuppetat; quis tamen æquus cenſor ſibi perſuadeat: VELSERUM, qui ab ineunte ætate tacitus ſecum adminiſtrandæ Reipublicæ vires ſuas deſtinarat, annisque auctior re vera illius gubernacula regenda ſuſcepit, ad id muneris acceſſurum fuiſſe, niſi ſe ejus ſcientiæ adjumentis probe munitum ſenſiſſet, ſine qua illud digne ſuſtineri non poterat. Hinc merito factum exiſtimo, quod *Melchior* ADA-

M 4 MUS

(*n*) Ita de Noſtro teſtatur *Jac.* BRUCKERUS in *Ehrentempel* &c. *p.* 68. & *Nicol. Hieron.* GUNDLING in *Hiſtorie der Gelahrtheit*, *p.* 3923.

MUS & *Petrus* BAYLE *Noſtro* locum inter *Jurecon-ſultos atque Politicos* aſſignarint. Et quamvis, ut mox monui, non niſi unum argumentum habeam, quo *Noſtri* in Re juridica cognitionem liquido comprobem, tale tamen illud eſt, ut a quovis ſapiente vix reſpui poſſe videatur: Eſt autem teſtimonium *Jacobi* GRETSERI, ſuperius in *Antonio* VELSERO citatum, quo fratres VELSEROS, conſequenter & *Noſtrum*, in negotiis, *quæ ad Dicen & Themidem ſpectant*, *usque adeo excellentes* prædicavit, *ut reliquis omnibus poſthabitis*, *hoc unum curæ cordique habere exiſtimari queant.* Accedunt duo alia, ex quibus, eum Jurisprudentiam neglectui minime habuiſſe, veroſimile ſit: 1o. *Fulvii* PACIANI *Mutinenſis Conſilia*, *Reſponſa &c.* in *folio.* quæ, ſumptibus quidem *Eliæ* WILLERI bibliopolæ *Auguſtani*, at non ſine addito *Pinus inſigni*, apud *Chriſtoph.* MANGUM, anno 1605. prodiverunt, dedicata *Ferdinando I. Medicæo*, apud quem gratia valuiſſe *Noſtrum*, ſupra *Sectione I.* edocti ſumus. 2o. *M. Antonii* MURETI *JCti & Civis Romani Variarum Lectionum Libri IV. & Obſervationum Juris Liber ſingularis*, *nusquam unquam antehac editi*, qui anno 1600. *Auguſtæ. Ad inſigne Pinus.* in 8o. emanarunt in publicum, addita *Epiſtola* ad *Andream* SCHOTTUM, quam *Noſtri*, etſi is nomen ſuum non addiderit,eſſe & ſtylus & contextus totus (*) præcipue vero teſtimonium Editoris MURE-

(*) Ut me intelligentiores judicare valeant, an a vero aberrem, necne? *Epiſtolam* totam apponendam duxi: *Viro Reverendo Andreæ* SCHOTTO, *Societatis Jeſu Sacerdoti. Doctus & diſertus Vir*, *inquis*, MURETUS, *meo quidem palato*, *& cujus non item*, *mi Schotte! Si quis eſt*, *illi vero non tam palatum*, *quam mens obbrutuit. Novi*,

MURETI *Orationum* , *Epiſtolarum &c. Ingolſtadii*, cudente *Sartorio*, perſuadent, dicentis: MURETI *pleraque abs* VELSERO *noſtro & Andr.* SCHOTTO *orbi litterato ſervata fuiſſe.* Ceterum quo vere animo in Jurisprudentiam , præſertim politiorem , fuerit *Noſter* , ipſe in *Epiſtola* quadam (*Operum, p.* 849.) profeſſus eſt, ſcribens de *Conr.* RITTERSHUSIO: *cujus politæ Jurisprudentiæ me favere norunt omnes, qui me norunt.*

Tot tantarumque ſcientiarum præſidiis inſtructus atque excultus VELSERUS non ſolum eruditiſſimorum *Italorum* admirationem ſibi conciliavit; ſed etiam , revectus in patriam , brevi omnium oculos animosque in ſe convertit. Ubi vero primum ad ſcribendum animum appulit, ita placuit Eruditis,

vi , qui ſerio contenderet , a mille retro annis neminem vixiſſe eloquentia cum hoc comparandum. De me ſi quæris, nihil quisquam tam magnificum præterea adjiciat ; cujus ego auctoritatem defugiam : ſic tamen ut eam primam MURETI *laudem nunquam ſtatuam. Prudentia & judicio excellere ſemper viſus. Quid tibi nunc exſequar? Ultro aſſentireris, ſi hominem (fere dixi , vidiſſes) certe coram noviſſes unquam. At id jam ſerum eſt. Neſcio , quomodo ego nullam ejus lego paginam , in qua præſentem intueri , & grave illud limatumque judicium agnoſcere non videar. Quod itaque volebas , feci omnino lubens , ut acceptos a Te poſteriores quatuor Variarum Libros , & Obſervationum Juris ſingularem , typographo vulgandos traderem , unaque publice atteſtarer, cui beneficium hoc deberemus ; ſine enim tua pietate , fuiſſet , perierant profecto hæc planiſſime. De reliquis ne deſperes. Enitemur quacunque , ne ſemper omnia lateant; nam præclara ſunt haud dubie pleraque. Tu in* PHOTIO *civitate Romana donando perge, perinde ac coepiſti , & in difficili labore te identidem memoria poſteritatis excita , quæ tibi , quamdiu quidem litteræ Latinæ erunt, gratias æternum habitura eſt. Vale , & Deum pro me ora.*

tis, ut ejus laudibus tota cito *Europa* inſonuerit. Nimis profecto longum foret, elogia, quibus *Noſtrum*, laboresque *Noſtri* viri doctiſſimi non tam cumularunt, quam mactarunt, hoc loco retexere, Lector optime! Quapropter, præter ea, quæ ſuperius attuli, conſulere tibi lubeat *Manes Marci* VELSERI, *ſub finem* (**), ubi horum inſigniora repperies. Iſtis adde, ſi placet, quæ *Caſp.* SCHIOPPIUS, homo alioquin ab adulandi ſtudio alieniſſimus (*o*), in *Noſtri* laudem ſcripſit: itemque ea, quæ *Thomas* POPE BLOUNT (*p*) *Petrus* BAYLE (*Dictionaire hiſtorique &c.*) *Joann. Chriſtian.* NEU in *P. II. Acceſſ. ad Degor.* WHEAR *Mantiſſ. de Hiſt. partic. p.* 145. & *Jo. Chriſtoph.* WENDLERUS in *Diſſert. II. de Meritis Reipubl. Auguſt. p.* 50. ex *Joſ.* RIPAMONTII *Hiſt. Mediolanenſ. T. II. c. ult.* in eandem rem congeſſerunt. Agmen claudat *Adrianus* BAILLET (*q*) qui de *Noſtro* ſequentia habet: *C'eſt un homme de la premiere reputation, qui ètoit honoré, éſtimé & aimé de tous les Scavans de ſon ſiècle.*

Sic fama exiſtimationeque VELSERI quam latiſſime propagata, vix ullus per *Germaniam*, *Italiam*, *Belgium* atque *Hiſpaniam* vir fuit litteratus, qui non ejus amicitiam ſibi ambiendam putarit. Horum

(**) Hi tum ſeparatim excuſi extant *Norimbergæ.* 1617. in 4to. tum in *Collect. Opp. M.* VELSERI a *Chriſtoph.* ARNOLDO vulgata *ibidem*, in *folio.* 1682.

(*o*) In *Dedicatione* ad *Thaumaturgum Auguſtanum.* Vide etiam ARNOLDUM in *Vita Noſtri*, *p.* 66.

(*p*) In *Cenſura celebriorum Authorum*, *pag.* 611.

(*q*) *Jugements des Scavans &c. Tom. II. P. II. p.* 206. Ceterum BAILLETUS pluribus de *Noſtro* agere, inter *Hiſtoricos Germaniæ*, promiſit; ſed promiſſa non ſolvit, haud dubie morte interceptus.

rum alii in Libris a ſe editis *Noſtri* crebrius meminerunt, ejusque ſententias ſuas in areolas derivarunt: alii Opera a ſe publicata honori nominique *Velſeriano* (***) inſcripſerunt: alii denique in rebus dubiis conſilium ſibi *Noſtri* expetiverunt, laboresque ſuos ejus judicio examinandos, corrigendos, limandosque ſubjecerunt. Ex triplici hoc capite *Jacob.* GRETSERUS (*r*) ipſi adeo ORIGENI *Adamantio* VELSERUM comparare minime dubitavit. Et eſt certe ſplendidius, luculentius ac glorioſius GRETSERI teſtimonium, quam ut totum a me hoc loco non apponatur: *In Origine Adamantio tria commendat Euſebius, L. 6. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, c. 13. Primum; quod Græcorum Philoſophi (& in his Chriſtianorum hoſtis, & inſectator acerrimus, Porphyrius) licet a vera Religione alieni, incredibili Origenis eruditione commoti, ejusdem crebram mentionem libris ſuis inſperſerunt, eo fine, ut lucubrationes ſuas illuſtri hoc ſole illuſtrarent. Secundum; quod nonnulli aliquando libros abs ſe elaboratos ei dedicarunt. Tertium; quod interdum vigilias ſuas eidem, tanquam judici, arbitro & doctori cenſendas, emendandas, poliendasque ſubiecerunt. Hæc triplex Origenis laus non minus in te, niſi me fallit animus, competit. Quam frequens enim nominis & doctrinæ tuæ commemoratio & prædicatio in eorum commentariis, qui hoc tempore in ſenatu litterario, vel prima ſubſellia, vel a primis proxima, vel ſaltem non infima tenent; quorum aliqui paulo plus, ſi tamen plus,*

(***) De *Figuris Bayerianis ethnicis*, deque *Diomede de Oratione &c.* ab *Elia* PUTSCHIO *Noſtro* dicatis v. ARNOLDUM in *Vita Noſtri p.* 57. 58. De reliquis in ſequentibus *Notis* diſces.

(*r*) In Dedicatione ad ANASTASII *Sinaitæ Ducem viæ* ad ſe editum.

plus, in pietatis ſinceræ ſenſu guſtuque tecum conſentiunt; ac cum Origene Porphyrius & reliqua a legitimo Dei cultu abhorrens Philoſophorum caterva. Nimirum hæc ſolidæ eruditionis natura eſt, & hic genius, ut in ſui amorem & admirationem facile quoſuis rapiat, præſertim ſi, ut in te, cum morum humanitate & affabilitate copuletur; generiſque ſplendore, & functionis in Republica adminiſtranda amplitudine exornetur. Jam vero ſi libri, olim Origeni a Philoſophis nuncupati inſcriptique, compararentur cum illis, qui tibi ſacri & dicati, in Muſarum Memoriæque, ut ſic loquar, templo ſuſpenſi viſuntur, forſan paucitas illorum præ horum multitudine non injuria nobis vileſceret. Novi inſuper non deeſſe viros omnibus diſciplinis egregie excultos, quibus religio ſit publico ſe & cogitata ſua, ſi quæ in chartam retulerunt, committere; niſi prius ſuffragio & graviſſimo tuo judicio ad audendum erigantur, & incitentur.

Quemadmodum autem viri docti ſeſe in amicitiam VELSERI inſinuare certatim ſtuduerunt; ita non fuit, cur ſui eos propoſiti pæniteret. Mira namque benevolentia, candore miro, ac ſingulari gratificandi ſtudio eisdem reſpondit *Noſter*; cujus rei teſtem rurſus habeo ſupra-laudatum GRETSERUM (*s*) dicentem: *Qua alia ratione doctorum hominum voluntates & ſtudia adeo devincis, niſi indefeſſa illa de omnibus Litterarum amantibus bene merendi alacritate & inexſaturabili cupiditate.* Et quoniam mentio de *Amicis* Noſtri incidit, convenit oppido, eorum, præcipuorum ſaltem, catalogum hoc loco ſubnectere (*t*). Sunt autem: *Aleander*, *Bal-*

(*s*) *Ibidem.*

(*t*) Sequor in hoc catalogo texendo *Chriſtoph.* ARNOLDUM, in *Vita Noſtri*, *p.* 54. ita tamen, ut alios primi ſubſel-

Baldus (u), *Bencius*, *Biſciola*, *Bonciarius* (x), *Brantius* (y), *Browerus*, *Camerarius* (z), *Caniſius* (a), *Caſaubonus*, *Chioccus*, *Clavius*, *Cluſius* (b) *Contarenus*, *Delrio*, *Freherus* (c), *Galilaus* (d), P. *Gualdus* (e), *Gentilis*, *Goldaſtus* (f),

ſubſellii doctos Viros aliquot addam. Meminit autem Amicorum ſuorum multoties *Noſter* in *Epiſtolis* ſuis.

(u) Hic VELSERO dedicavit *Librum de Verborum Vitruvianorum ſignificatione* Epiſtola grati & amici animi teſtificationibus plena. Confer *David* CLEMENT *Bibliotheque curieuſe*, *Tom. II. p.* 372. 373.

(x) Quam hic *Noſtro* amicus fuerit, probant, quæ ſuperius ex illo, de communibus ſtudiis *Romæ* ſub *Ant.* MURETO, attuli.

(y) Teſtatur is amorem ſuum erga VELSERUM in *Epiſtola* prævia ad *Juſti* RYCQUII *Pietatem* &c. quam in *Opp. M.* VELSERI, a *Chriſtoph.* ARNOLDO editis, vide.

(z) *Epiſtolas Noſtri* plures ad hunc habes inter *Opp. M.* VELSERI, *p.* 840. in quibus multoties ſermo recurrit de *Reliquis Librorum Friderici II. Imp. de Arte venandi*, quæ edere CAMERARIUS inſtituerat, & quibus obſtetriciam opem *Noſter* impendit, ex typographia *ad inſigne Pinus* publicans anno 1596. a ſe *Ferdinando* Archid. *Auſtriæ* dedicatos.

(a) Laudat. CANISIUS *Noſtrum* in *Dedicatione* ad *Tom. I. Lection. antiq.* & in *Præfat.* ad *Tom. II.* ab inſigni ſtudio, veterum Auctorum ſcripta in lucem protrahendi. De CASAUBONO autem vide novam Editionem *Epiſtolarum* ejus 1709. vulgatam.

(b) *Epiſtolæ Noſtri* ad CLUSIUM extant inter *Opera Noſtri.*, *p.* 832.

(c) Huic communicavit *Noſter* veterem *Conſtitutionem D. Caroli Craſſi.* Ipſe vero *Noſtro* dicavit *Sapphirum Conſtantini M.*

(d) *Noſtro* maxime dedicandas iſte ſibi duxit *Epiſtolas* ſuas *tres de Maculis ſolaribus.* Hinc errat *Elias* EHINGERUS in *Catal. Bibliothecæ Auguſtan.* p. 660. eaſdem Epiſtolas *Noſtro*, ceu Auctori, adſcribens.

(e) Hic *Noſtro Vitam Jo. Vinc.* PINELLI ex parte ſacravit.

(*f*), *Gretſerus* (*g*), *Grillus* (*h*), *Gruterus* (*i*), *Hoeſchelius* (*k*), *Livineius* (*l*), *Lipſius* (*m*), *Lollinus* (*n*),

(*f*) Vide *Epiſtolas Noſtri* ad hunc Eruditum, inter *Opera Noſtri*, *p*. 840. Is portionem *Paræneticorum* a ſe editorum *Noſtro* dedicavit anno 1603. addito ſequenti elogio: ***Ad eam rem auctoritate tua opus eſt***, VELSERE! ***cujus apud noſtros cenſura non minor, quam Catonis olim apud Romanos. . . . Faciam ego, ut omnes intelligant, in hoc dignitatis ſummo gradu nihil mihi videri humanitate tua majus, nihil prudentia gravius, nihil doctius eruditione. . .***

(*g*) Quanti ***Noſtrum*** GRETSERUS fecerit, ex ſuperius dictis ſatis liquet.

(*h*) Vide hujus ***Epiſtolas*** ad ***Noſtrum***, inter ***Opera Noſtri***, ***p***. 882.

(*i*) GRUTERUS amicorum *Noſtri* facile princeps exſtitit, qui *penes ſe* (teſte *Melch*. ADAMI in *Vitis JCtorum p*. 220.) ***ultra*** 300. ***Epiſtolas adſervavit, quibus*** VELSERUS ***eum fere hebdomadatim ſuaviter compellare ſolitus erat.*** De hac amicitia per viginti annos ſedulo conſtanterque culta teſtatur GRUTERUS in *Præfatione* ad *Inſcriptiones* a ſe editas, & in *Carmine exſequiali* in ***Noſtrum*** (quod videſis inter *Manes M*. VELSERI) ubi ait:

Ergo quid tibi ipſe, quæſo! quid tibi ipſe debeo?
Imo quid non debeo ipſe, Marce! Manibus tuis?
Qui me amore, qui me honore proſecutus maximo es
Per decem, decemque meſſes. Cuncta certe debeo,
Quæ poteſt debere amicus: quæque amicus non poteſt,
Cuncta debeo - - - - - - - - - -

Confer, ſi lubet, ARNOLDUM in *Vita Noſtri*, *p*. 58.

(*k*) Quantum honoris HOESCHELIUS habuerit VELSERO, docent Dedicationes ad PHOTII ***Bibliothecam***, ad HORAPOLLINIS ***Hieroglyphica***, ad *Catalogum **Græcorum** Codicum Bibliothecæ Auguſtanæ*, aliaque. Quantum viciſſim benevolentiæ HOESCHELIO habuerit VELSERUS, teſtantur ſubſidia doctrinæ & auctoritatis, quibus eum *Noſter* in edendis præclaris Libris adjuvit; item ***Epiſtolæ*** ad HOESCHELIUM extantes inter *Opera* VELSERI, *p*. 838.

(*l*) Hic *Panegyricos veteres* a ſe editos *Noſtro* dicavit.

(*m*) Vide *Epiſtolas Noſtri* ad hunc plures inter ***Opera Noſtri***, *p*. 815. *& ſeqq*.

(*n*), *Meibomius*, *Mercurialis*, *Merula* (*o*), *Meurſius* (*p*), *Migliorius*, *Muretus*, *Nicherola*, *Occo*, *Olgiatus*, *Pancirolus*, *Peireſcius*, *Pignorius* (*q*), *Pinellus* (*r*), *Pontanus*, *Raderus* (*ſ*), *Remus* (*t*),

(*n*) Hic, poſtquam amicorum ſuorum plures commemorarat, ſequentibus *Noſtri* amicitiam captandam ſibi cenſuit: *Unus tu reſtabas... cujus in amicitiam admitti ſicuti ego nunc exſpecto, ita enitar, ut... nullum in me ſtudium, nullum grati animi officium ſis deſideraturus.* GUALDO *ipſi in tui amorem effuſiſſimo vix ceſſero....*

(*o*) Hunc *ſui amantiſſimum* vocat *Velſerus* in *Epiſtola* quadam, quam vide inter *Opera Noſtri. p.* 801. Vide *ibidem*, *p.* 829.

(*p*) De MERCURIALI conſule *Epiſtolas Noſtri*, *l. c. pag.* 862. 863. 875. *De* MEURSIO *autem*, *p.* 801. 837. Viciſſim MEURSIUS *Annotationes* ſuas *ad Bacchides Plauti* obtulit *Noſtro*, de qua re ſingulari *Epiſtola Noſter* ei grates ſignificantiſſimas agere minime omiſit. V. MEURSII *Opera* a *Jo.* LAMIO edita, *Tom. XI. p.* 70.

(*q*) Hujus in *Symbolarum epiſtolicarum Libr. I. p.* 51. extat *Epiſtola* ad *Noſtrum*, in qua poſtquam eum de lacu, *la Solana*, dicto conſuluiſſet, ſubdit: *Hujusce te rei, V. Cl. certiorem ni feciſſem, periiſſet mihi omnino voluptas ruſticationis meæ: Tu quod perſcripſi;.. ſi perpenderis, & ſententiam tuam reſcripſeris, erit, de quo te etiam duplo amem.*

(*r*) Vide *Vitam Noſtri* a *Chriſtoph.* ARNOLDO ſcriptam, *p.* 56.

(*ſ*) De amicitia cum PONTANO & RADERO a *Noſtro* culta *Hiſtoria Soc. Jeſu German. ſuper. Tom. II. p.* 134. hæc habet: *Præjudicium hominis probi juxta & inprimis docti referet, cuicunque amicum* VELSERUM *fuiſſe dixero; nam integritatem, ut ipſe coluit, ſic in aliis dilexit ſummopere, ac præcipue ſi qua vidit cum inſigni eruditione conjunctam; utpote cujus famam ipſemet doctiſſimis lucubrationibus ob omni orbe litterato conſecutus eſt maximam, in politiore præſertim antiquitatis ac hiſtoriæ ſtudio, cujus in aliis quoque amator fuit minime invidus, quin etiam propagator.*

(*t*), *Rittershuſius* (*u*), *Rubenius*, *Rycquius* (*x*), *Scaliger* (*y*), *Scheinerus* (*z*), *Schottus* (*a*), *Scioppius* (*b*), *Titius* (*c*), *Vandermylius* (*d*), *Vulcanius* (*e*), *Windeckius*, *Wotonus* ad Venetam Rempublicam olim Legatus.

Tantorum porro virorum amicitias animi ſolum aut oſtentationis gratia excultas a *Noſtro* fuiſſe, quisquis

tor. *Multum illi coram*, *ac per litteras commercium & familiaritas cum* PONTANO & RADERO, *ex ſtudiorum ſimilitudine amiciſſimis.*

(*t*) REMUS teſtatus eſt ſatis, quantum VELSERUM amaverit, edendo poſt ejus obitum *Manes M.* VELSERI, quibus municipi ſuo quaſi parentavit.

(*u*) Conſule *Epiſtolas Noſtri* ad RITTERSHUSIUM extantes *Opp. Noſtri*, *p.* 854.

(*x*) Hic ſuum in *Noſtrum* amorem ſatis comprobavit edita *Pietate in funere M.* VELSERI; quam habes ante *Opp. M.* VELSERI.

(*y*) *Joſ.* SCALIGER plurimis a *Noſtro Epiſtolis* ſalutatus fuit officii pleniſſimis. V. *Opp. Noſtri*, *p.* 787. & *ſeqq.*

(*z*) SCHEINERUS ſuam erga *Noſtrum* obſervantiam prodidit, dum ei ſuas *de Maculis ſolaribus Epiſtolas* dicavit, de quibus vide *Chriſtoph.* ARNOLDUM in *Vita Noſtri*, *p.*55.

(*a*) *Andreas* SCHOTTUS *Vitas Ariſtotelis ac Demoſthenis comparatas* nomini *Noſtri* ſacras eſſe voluit, itemque PHOTII *Bibliothecam* a ſe græce latineque editam. De hoc *Noſter* in quadam *Epiſtola* ad *J.* LIPSIUM memoranda hæc verba poſuit: *Andr.* SCHOTTUS *hac tranſiens me humaniſſime complexus eſt*, *adeo profecto*, *ut qui ejus amore jam antea incaluerim*, *nunc ardeam medullitus.*

(*b*) Hujus amantiſſimum ſeſe oſtendit *Noſter*, dum eum per biennii ſpatium domi apud ſe retinuit, teſte *Jac.* BRUCKERO in *Ehrentempel &c.* p. 69.

(*c*) Epiſtolas *Noſtri* ad TITIUM habes ad calcem. *Opp. Noſtri*, p. 858.

(*d*) *Arnoldus* MYLIUS Opera *Jo. Geneſ.* SEPULVEDÆ ſub auſpiciis *Noſtri* foras exire voluit.

(*e*) Vide *Noſtri Epiſtolam*, ad calcem *Operum ejus*, *p.* 801.

quisquis ſibi perſuadet, is profecto toto cælo errat. Plurimum certe abſuit, ut VELSERUS has inanes, aut otioſas abire pateretur, ut iisdem potius eo maxime uſus ſit, quo res inde litteraria plurimum caperet incrementi: &, cum per ſe in illa promovenda, amplificanda, propaganda ſatis ſe præſtare haud poſſe ſibi videretur, alios adjutores & veluti laborum ſuccedaneos haberet, quorum ope illa maxime creſceret augereturque.

Et ecce! latiſſimus rurſum mihi campus proſternitur, dum de *Meritis Noſtri in Rempublicam litterariam* dicere aggredior. *Atque utinam iſtorum voces audire poſſemus* (Verbis utor *Chriſtoph.* ARNOLDI) *qui magni hujus Viri ope multa publici juris fecerunt: tum quod unus propemodum in Germania litteras litteratosque foveret;*

Solus enim triſtes hac tempeſtate Camoenas reſpexit: tum quod in eruendis Codicibus, & explorandis Bibliothecis, ſaltem ut doctos homines juvaret, nihil prætermitteret. Itaque alios Eruditorum, ſi qua in re hæſitarent aut ceſpitarent, VELSERUS doctrinæ ſuæ luminibus adjuvit: Sic *Annalium eccleſiaſticorum* conditor nominatiſſimus Card. BARONIUS, cum, martyrium *SS. Afræ & Sociarum* memorans, ex vitioſo Codice eas ſub *Domitiano* paſſas eſſe ſcripſiſſet, admonitione *Noſtri* eas ſub *Diocletiano* martyrii palmam tuliſſe non didicit ſolum, ſed etiam errorem in ſecunda editione gratus correxit (V. Ejus *Annales*, *ad annum* 303. *n.* 125.) Taceo ALEANDRUM, & *Val.* CHIMENTELLIUM, itemque *Ezechielem* SPANHEMIUM; de quibus *Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Vita Noſtri, p.*65. meminit. Scatent præterea rei hujus exemplis *Epiſtolæ Noſtri* ad ævi ſui Eruditos, adeo ut ad eam comproban-

dam haud pluribus verbis opus eſſe arbitrer; Tanta nimirum fuit per univerſum litteratum orbem eruditionis *Velſerianæ* exiſtimatio, ac reverentia tanta, ut, quæ ipſe vel dixiſſet, vel probaſſet, ceu communis oraculi voce dicta probataque viderentur; cum quæſtio nulla fuerit tam intricata, quam non diſſolveret: dubium nullum tam grave, quod non elevaret: obſcuritas nulla tam denſa, quam non illuſtraret. Aliis VELSERUS veteres nummos, priſcas inſcriptiones, aliaque rariſſima antiquitatis monumenta induſtrioſe procuravit: Certe hæc *Noſtri* induſtria præclariſſimo *Inſcriptionum* Operi *Gruteriano* (quod unum argumentorum omnium inſtar eſſe poterit) originem dedit; prout GRUTERUS ipſe in *Dedicatione* grata mente profiteri minime erubuit, cujus teſtimonium ut hic integrum non apponam, impetrare a me haud poſſum: *In primis virgula mihi fuit plusquam divina Marcus* VELSERUS, *Germaniæ ſuæ vere phoenix, hoc eſt, omnibus virtutis doctrinæque numeris emendatiſſimum exemplar. Tali enim in me fuit candore, tali comitate, tali propenſione, tali etiam vultu, tali lingua, tali manu, ut præ pudore neque oculos attollam, neque vocem. Quippe ante ullas preces (depoſita perſona, quam gerit in urbe ſua, Principis) & candidati & proxenetæ induit: illeque alias ad vitium usque verecundus*

ultra decori tranſilire limites;

donec univerſas Librariarum Italicarum epigraphas una cum pulviſculo converriſſet in hunc meum ſinum. Ac tanquam parum eſſet, ei rei impendere veredarios ſuos, etiam peculiaribus ſemper epiſtolis hoc ſuum donum proſequendum ſtatuit, tam auxie quidem, aut potius ſuperſtitioſe, ut ſi vel unica forte obveniſſet inſcriptio, ne unicam quidem illam ſine litteris ad me dimitteret. Huic ergo uni ſit gratia! Pari ratione

Adol-

Adolphum OCCONEM Numiſmata Imperatorum Romanorum Opere eruditiſſimo colligere parantem ſtrenue juvit, cujus *Numiſmata*, hinc inde *Velſerianis* referta atque illuſtrata, quis non miretur. Confer ARNOLDUM in *Vita Noſtri*, *p.* 65. Aliis VELSERUS manuſcriptos Codices, veteraque manu exarata fragmenta, tum ex *Auguſtana* Bibliotheca deſumpta, tum ex aliis Bibliothecis mutuo accepta, aliaque ſubmiſit; ut eadem typis excuſa publico uſui, publicæ utilitati eſſent: Hanc *Noſtri* ſedulitatem experti *Jacobus* GRETSERUS (*f*) *Marquardus* FREHERUS (*g*) *Jacobus* PONTANUS (*h*) *Henricus* SAVILIUS (*i*) Editores Moguntini *Anaſtaſii*

 (*k*)

(*f*) GRETSERUS in *Præfatione* ad *Tom. II. de Cruce* aperte fatetur, ſe in eo Opere condendo VELSERI humanitate plurimum adjutum fuiſſe acceptis ex Bibliotheca *Auguſtana* aliquot MSStis Codicibus, ejusque beneficio impetratis a *Maximo* MARGUNIO, Epiſcopo Græco, *Homiliis* non paucis. Ex eadem Bibliotheca idem GRETSERUS vulgavit ANASTASII *Sinaitæ Ducem viæ*, nomini VELSERI inſcriptum; in qua Dedicatione *Noſtro* ſequens, jam ſuperius ex parte allatum, elogium tribuit: *Et qua alia ratione Doctorum hominum voluntates & ſtudia adeo tibi devincis, niſi indefeſſa illa de omnibus litterarum amantibus bene merendi alacritate... cujus ego tot jam annos fructum capio uberrimum; dum tua, imo & publica inclytæ Reipublicæ veſtræ Bibliotheca mihi non ſecus patet, ac tibi; dumque ſi vel ex regionibus exteris liber arceſſendus ſit, nec operæ nec impenſæ parcis, ut voti compos ſiam...*

(*g*) Cum hoc *Noſter Conſtitutionem Caroli Craſſi de Expeditione Romana* a ſe inventam, deſcriptamque communicavit.

(*h*) Hic in CANTACUZENO edendo egregiam *Noſtri* opem ſenſit. V. *Chriſtoph.* ARNOLDI *Vitam Noſtri*, *p.* 60.

(*i*) Nobiliſſimus iſte Operum *Joann. Chryſoſtomi* editor auxilium ſibi in hac re a VELSERO præſtitum gratus deprædicat: & in debitæ gratitudinis documentum Exemplar horum Operum Bibliothecæ *Auguſtanæ* donavit, ſingulari inſcriptione addita.

(*k*) *Conradus* RITTERSHUSIUS (*l*) *Henricus* CANISIUS (*m*) *Ludovicus Jacobus a S. Carolo* (*n*) Editor *Operum M. Antonii* MURETI (*o*) *Matthæus* RADERUS

(*k*) Iſtis binos *Anaſtaſii* Codices ex Bibliotheca *Heidelbergenſi* per *Marquard.* FREHERUM impetravit.

(*l*) RITTERSHUSIO, etiam neſcienti, *Noſter* Codicem MSStum *Epiſtolarum S. Iſidori Peluſiotæ* ex Bibliotheca *Bavarica* obtinuit, utque obtineret, *cautionem mille florenorum*, ſine qua is haberi non poterat, præſtare minime dubitavit. V. *Chriſtoph.* ARNOLDI *Vitam Noſtri p.* 59. Eidem RITTERSHUSIO, GINTHERI *Ligurinum* vulgare paranti, *Caroli Craſſi de Expeditione Romana Conſtitutionem* ſive *Diploma* in veteri Libro manuſcripto a ſe repertum, miſit ad illuſtrandam *Roncaliarum* deſcriptionem (Extat hæc *Lib. II.* GINTHERI) maxime conducens. Vid *Epiſtolas Noſtri*, inter *Opera Noſtri*, *pag.* 855. Parum abfuit, quin Eruditi illius temporis, quibus hoc *Diploma* minus genuinum viſum eſt, ſive RITTERSHUSIUM, ſive VELSERUM noſtrum, ſive ambos ſimul malæ fidei arguerent. Sed utriusque famam non multis abhinc annis vindicavit *Henricus Chriſtianus L. B. a* SENCKENBERG in *Corpore Juris feudalis Germanici*, in *Præfat.* §. 43. 44. 45.

(*m*) Hic *Tom. I.* & *II. Antiq. Lection.* opem a *Noſtro* ſibi exhibitam laudat, & merito quidem. VELSERI etenim interventu is ex Bibliotheca *San - Udalricana*, *Auguſtæ*, Codicem MSStum, ubi HIERONYMI & EUSEBII *Chronicis ſubjunctus* PROSPER, item *Henrici* STERONIS *Altachenſis Annales*: ex Bibliotheca *Tegernſeenſi* vero *Metelli Quirinalia* acceperat.

(*n*) Cum hoc *Capitulare Gregorii II.* ex vetuſtiſſimo Codice *Weingartenſis* Cænobii *Noſter* communicavit.

(*o*) Vide Nuncupatoriam *Tomi II. Orationum* MURETI, *Editionis Ingolſtadienſis*, cudente *Adamo* SARTORIO, in qua partem magnam reliquiarum MURETI *Noſtro* in acceptis referendam eſſe monemur; *quippe qui eas partim a ſe ſtudioſe collectas, partim ab amicis acceptas, communes omnium eſſe voluerit.* Eidem editioni acceſſerunt *Publii Syri Sententiæ*, a *Noſtro* ſubmiſſæ, de quibus pluribus egi in §. VELSERUS (*Antonius*) *Friſingenſis Præpoſitus.*

DERUS (*p*). Alios ad edenda præclara Opera hortatus (*) eſt atque excitavit. Sic *Bernard.* BALDUS *Heronis Cteſibii Belopoeeca*, itemque *Heronis Vitam*, uti & *Divinationem in Tabulam Eugubinam* publicavit: Sic *Claudius* MARNIUS *Dan. Furlani Theophraſtum* vulgandum & Card. *Borromæo* dedicandum a *Noſtro* accepit: Sic *Laurentius* PIGNORIUS *Menſæ Iſiacæ explicationem* inſtituit & abſolvit. Sic *Joſephi* SCALIGERI *Euſebium*, precibus *Noſtri* aſſiduis non tam impetratum, quam extortum, habemus. Et quid de *Davide* HOESCHELIO dicam, qui *Noſtro* hortante, promovente, adjuvante plurimos Scriptores Græcos (hosque inter plures ex Bibliothecæ *Auguſtanæ* Codicibus manu exaratis) uti *Geographica Marciani*, *Eclogas Legationum Dexippi &c. Horapollinis Hieroglyphica*, *Illyrica Appiani*, *Lampriam de Scriptis Plutarchi*, *Photii Bibliothecam*, aliaque non ſine maxima ſui & *Velſeriani* nominis fama publici juris fecit: qui idem jubente VELSERO confectum a ſe *Catalogum Græcorum Codicum*, *qui ſunt in Bibliotheca Reipublicæ Auguſtanæ Vindelicæ*, anno 1595. *Auguſtæ* vulgavit *quadruplo quam antea auctiorem*, in cujus nuncupatoria, ad *Hieronymum Commelinum* typographum, mentem jubentis VELSERI Reipublicæ litterariæ bono intentiſſimam verbis ſequentibus explicat: *Hoc certe conſilio* (nimirum quod theſauri ſub terra defoſſi nullus ſit fructus) *novum Bibliothecæ Auguſtanæ indicem a me conferi voluiſſe.... M.* VELSERUM ... *ipſe mihi perſuadeo: ut tam quæ*

(*p*) RADERO communicavit *Noſter* MSStum *Dicuilis* librum. V. RADERI *Aulam ſanctam*, c. 4. & ARNOLDUM in *Vita Noſtri*, p. 64. 65.

(*) Scatent hujusmodi cohortationibus *Epiſtolæ Noſtri*.

in illa cimelia, qui probæ notæ auctores ſervarentur, conſtaret: quam quicunque codex in rei litterariæ commodum, ut antea, petenti in uſum daretur, aliique Bibliotaphi ad idem bene de litteris merendi ſtudium incitarentur. Addita huic *Catalogo* ſequens præmonitio haud dubie *Noſtro* dictante, quæ illorum temporum Eruditis jucundiſſima accidere debuit; utpote qua ad utendum theſauro illo litterario humaniſſime invitabantur: *Quisquis reipublicæ litterariæ faves, ſive Lector, ſive Typographe! Horum omnium Codicum ſive interpretandi, ſive conferendi, ſive edendi ita tibi futura copia eſt, ut de iis incolumibus reſtituendis caveris* (*q*).

Tantus porro juvandæ & amplificandæ rei litterariæ ardor in *Noſtro* fuit, ut his omnibus, quæ certe plurima, laudeque digniſſima ſunt, ſibi neutiquam ſatisfecerit; ſed novo inſuper atque inſolito conſilio typographiam propriam ſibi inſtruendam, adornandamque judicarit. Eſt hæc Typographia *ad inſigne pinus*, tum *Cæſareo perpetuo*, tum etiam *chriſtianiſſimi Regis Galliarum* Privilegio munita: & librorum in ea excuſorum præſtantia, & chartæ ac characterum Græcorum Latinorumque munditia, nitore, venuſtate maxime commendabilis; quæ tamen, *Noſtro* vivorum e numero ſupremis fatis erepto, brevi poſt eſſe deſiit. *Pinum*, quæ civitatis *Auguſtanæ* teſſera eſt, itidem typographiæ ſuæ teſſeram eſſe voluit VELSERUS, addita epigraphe: *Honos erit huic quoque pomo;* qua ipſa, quod futurum erat, luculenter præmonuit; etenim ſtatim ubi exorta eſt Typographia iſta, ob operum ex ea publi-

(*q*) De hoc *Catalogo* confer *Ant.* POSSEVINI *Apparatum ſacrum*, *T. III. p.* 83. & MORHOFII *Polyhiſt. I.* 1. 7. 25. & *I.* 1. 18. 67.

publicatorum excellentiam elegantiamque mirus ei abs Eruditis honor fuit, & adhucdum, poſtquam ea Opera rariſſima evaſerunt, ſingularis laus manet (*). De origine ac progreſſu iſtius Typographiæ aliqua in medium attulit *Jacobus* BRUCKERUS (*r*) dolens, documenta nulla ſupereſſe, è quibus amplior accuratiorque ejusdem hiſtoria concinnari poſſet. Operum vero inibi excuſorum *Catalogum* dedit *Georg. Guilielmus* ZAPF (*s*) ab anno 1594. usque in annum 1614. excurrentem, quem ſub incudem revocatum, ſecundis curis auctiorem, edere parat. Hos duos itaque Auctores conſulat, quemcunque plura de memorata Typographia cognoſcendi lubedo tenet.

Denique *Noſter* ſtudium, quo ſemper arſit, augendæ rei litterariæ etiam ultra fata ſuprema extendens, ampliſſimam Bibliothecam ſuam Bibliothecæ publicæ *Auguſtanæ* (Hanc, dum vixit, optimis Libris, magno præcipue græcorum operum numero augere adniſus fuerat) inferri teſtamen-

(*) Haud dubie ex hac Typographia emiſit *Noſter Jacobi* PONTANI *Florida* ſeu *Carmina ſacra*, de quibus *Hiſtoria Soc. Jeſu German. ſuper. Tom. II. p.* 134. poſtquam *Noſtrum* PONTANO amiciſſimum fuiſſe monuit, ſubdit: *Unde factum, ut cum ſua nuper* PONTANUS *vulgaſſet* Florida, WELSERUS *impenſa propria recudi denuo curaverit, feceritque eam hac liberalitate libro æſtimationem, ut, quem limatiſſimi judicii cenſor ſecundo prelo dignum judicaſſet, quartum deinde ad typum revocaretur.*

(*r*) In *Miſcellaneis Hiſtoriæ* &c. *pag.* 455. Confer etiam *Tempe Helvetica. Tom. IV. p.* 482.

(*s*) In *Annalibus Typographiæ Auguſtanæ*, ad calcem. Confer *J. G.* SCHELHORNII *junioris Beyträge zur Erlauterung der Geſchichte. IV. Stück*, *p.* 177.

to juſſit ; ut ſic, qui vivus profuerat multis, etiam poſt mortem quamplurimis prodeſſet (*t*).

Habes Lector! de Studiis, Doctrina, Amicis & Meritis *Noſtri* in Rempublicam litterariam. Accipe modo de *Scriptis* ſeu Operibus *Noſtri.*

(*t*) *Burck. Gotth.* STRUVIUS in *Introd. in Notit. Rei litterar. C. IV.* §. 16. & *Jac.* BRUCKERUS in *Miſcellaneis &c. p.* 453. 454. Errat magnopere *Nic. Hieron.* GVNDLING in *Hiſtorie der Gelahrtheit*, *p.* 535. dum ſcribit: *Noſtrum* Senatui *Auguſtano* auctorem fuiſſe, ut ab *Antonio* EPARCHO, Epiſc. *Corcyrenſi* MSStos Codices græcos multa pecunia emeret; nam emptio iſta multo ante facta, quam *Noſter* primam lucem aſpexit. Vide Perilluſtr. *Pauli a* STETTEN *Hiſtorie von Augspurg. Tom. I. ad annum* 1544. Ceterum VELSERI noſtri *Bibliothecæ, non minus ob librorum MSStorum (quorum numerus a quinquagenario prope abeſt) quam impreſſorum (quos inter haud pauci italico & hiſpanico exarati) quantitatem ac qualitatem præſtantiſſimæ acceſſione egregie locupletatam fuiſſe Bibliothecam publicam Auguſtanam*, tradit *Jo. Chriſtoph.* WENDLERUS in *Diſſert. I. de Merit. Reip. Auguſt. p.* 28.

Sectio III.

Libri genuini & dubii: item Adverſarii Noſtri.

Dedit orbi litterato *Georgius* REMUS, inter *Manes Marci* VELSERI. 4°. *Norimbergæ.* 1617. ad calcem, *Catalogum Librorum, quos partim M.* VELSERUS *edidit: partim edendos procuravit novos: aut veteres politiores emendatioresque (dum contulit ſymbolam, editiones ope conſilioque juvit) auctoritate, auſpiciisque ſuis prodire juſſit voluitque.* Hunc exſcribendum ſibi putarunt *Melchior* ADAMUS in *Vitis JCtorum p.* 220. & Liber: *Das groſſe Univerſal-Lexicon, Tom. LIV. p.* 1627. Ego vero illum minime reſcribendum eſſe putans, quod omnia promiſcue, nulloque annorum ordine ſervato commemoret,

moret, alium hoc loco texere mecum decrevi, daturus operam, ut primo eas Lucubrationes, quas Collectio *Operum Marci* VELSERI noſtri, a *Chriſtophoro* ARNOLDO adornata conjunctim exhibet, ex annorum, quo quæque prodiverunt, ſerie proponam: dein vero eas, quæ ARNOLDUM aut fugerunt, aut primum poſt ejus mortem in lucem emerſerunt, ſubjiciam. Curabo inſuper, ut non niſi, quæ *Noſtrum* diſtincte parentem habent, *Opera* recenſeam (De iis, quorum editiones aut procuravit ſolum, aut aliquo modo adjuvit, ſatis *Sectione* præcedenti dictum exiſtimo) poſt enumeratos vero *genuinos* VELSERI foetus, de *dubiis*, deque ejus *Adverſariis* breviter diſſeram. Initium itaque faciant:

I. *Inſcriptiones antiquæ Auguſtæ Vindelicorum. duplo auctiores, quam antea, editæ & in tres partes tributæ, cum Notis Marci* VELSERI *Matthæi F. Aug. Vind.* in 4to. *Venetiis.* 1590. *Apud Aldum. Pars I.* Inſcriptiones *Auguſtæ* extantas: *Pars II.* Inſcriptiones in agro *Auguſtano* repertas: *Pars III.* Inſcriptiones peregrinas, quæ meminerunt *Auguſtæ Vindelicorum*, *Rætorum*, *Legionis III. italicæ*, comprehendit. Prima Operis hujus fundamenta, jubente *Maximiliano I.* Imperatore, jecit *Conradus* PEUTINGERUS, ipſe quoque egregium patriæ *Auguſtæ*, & orbis litterati ornamentum, editis primo *Auguſtæ* anno 1505, deinde vero *Moguntiæ* anno 1520. nonnihil auctioribus *Romanæ Vetuſtatis Fragmentis in Auguſta Vindelicorum &c.* (*a*) Hujus *magnum exemplum æmulatus* Noſter, *quidquid*

(*a*) Confer *Hiſtoriam Vitæ ac Meritorum Conr.* PEUTINGERI, *poſt Jo. Georg.* LOTTERUM *novis curis* a me *illuſtratam*, *Auguſtæ.* 1783. in 8o. *pag.* 66. *& ſeqq.*

Peutingeri complectebatur editio, vulgavit iterum, adjecitque, quæ poſt Peutingerum lucem aſpexere, aut quæ alias inquiſitionem hominis diligentis effugêre: præterea quæ extra limites Auguſtanos res ejus civitatis quoquo modo tangunt: notas denique non omnino, ut ait, *otioſas.* Principem editionem hanc ſecuta eſt *altera* anni 1594. nam cum hoc anno ſuos *Rerum Auguſtanarum Commentarios* Libris VIII. conſcriptos *Venetiis* excudendos curaviſſet *Noſter*, ad calcem eorundem ſupra memoratas *Inſcriptiones* ad incudem revocatas, alio ordine digeſtas, limatas, ornatas figuris æri inciſis, adjecit, ſequentes eis titulos adſcribens: *Antiqua, quæ Auguſtæ Vindelicorum extant, Monumenta : Antiqua Agri Auguſtani Monumenta : Antiqua peregrina Monumenta, quæ meminerunt Auguſtæ &c. &c.* Dicavit autem *Noſter* ſecundam hanc editionem *Marco* FUGGERO, *Antonii filio, Cæſari a Conſiliis, Aug. Vind. II. Virali.* Germanica lingua prodiverunt memorata *Monumenta*, aut (ſi mavis) *Inſcriptiones*, converſæ ex latino ab *Engelberto* WERLICHIO, ad calcem *Chronicæ Auguſtanæ* vernaculo ſermone ab eodem WERLICHIO anno 1595. *Francofurti* in *folio* publicatæ, hoc titulo: *Antiqua Monumenta, das iſt: alte Bilder, Gemählde und Schrifften, ſowohl deren, ſo zu Auſpurg in Vindelicien, als auſſerhalb auff derſelben Gränze und Bodem, wie auch anderer Orthen gefunden &c.* Denique hæc *Monumenta* ſive *Inſcriptiones* latine extant in Collectione *Operum Marci* VELSERI, a *Chriſtophoro* ARNOLDO, *Norimbergæ.* in *folio.* anno 1682. adornata. De memoratis *Monumentis* ſeu *Inſcriptionibus* iſtis ſequens judicium tulit *Melchior* ADAMI (*b*): *Itaque ut mens gene-*

(*b*) In *Vitis JCtorum p.* 220.

generoſa, cælo affinis, motu gaudet, ita & ipſe (VELSERUS) *in Italiam progreſſus edidit* Antiquitates Auguſtanas, *felix famæ ſurgentis auſpicium, & pium.* Quo tamen loco monendus es, Lector! ne his ADAMI verbis forte deceptus putes, *Noſtrum*, dum in *Italia* moratus eſt, has eruditionis ſuæ primitias vulgaviſſe; utpote quem multo ante annum 1590. tempore remeaſſe in patriam ſuperius *Sectione I.* didicimus.

II. *Fragmenta Tabulæ antiquæ, in quîs aliquot per Romanas provincias itinera. Ex Peutingerorum Bibliotheca. Edente & explicante Marco* VELSERO *Matthæi F. Aug. Vind.* in 4to. *Venetiis.* 1591. *Apud Aldum.* Servarat inter alia cimelia plura *Conradus* PEUTINGERUS in ſua Bibliotheca *Tabulam* pervetuſtam *itinerariam*, quam tamen, neſcio quibus fatis impeditus, nunquam luci publicæ dedit. Hujus *ſchedas* ſeu *fragmenta* duo, cum diu poſt PEUTINGERI obitum forte fortuna in memorata Bibliotheca VELSERUS deſcripta inveniſſet, ſibi nequaquam omittendum putavit, quin ea, annotationibus illuſtrata, orbi litterato communicaret. Dedicavit autem hunc laborem *Noſter Jacobo Curtio a* SENFTENAU *S. R. I. Procancellario* in *amoris, obſervantiæ, gratitudinis monumentum.* Poſthæc videns, probari doctis quam maxime incoeptum ſuum, incitatus tum amicorum hortationibus, tum propria ſibi atque congenita in rem antiquariam omnem affectione, prius ab inveſtiganda *Tabula* tota non quievit, donec eam e latebris ac caligine, quibus abſorpta jacebat, in lucem protraxiſſet. Suis ergo auſpiciis deſcriptam *Abrahamo* ORTELIO *lætitia exilienti, quod per annos amplius viginti omnibus veſtigiis fruſtra indagaſſet*, edendam transmiſit, *fidem, quam Publico obſtrinxerat, curaſſe*

raſſe interpretatus, ſi per ORTELIUM *ſolviſſet.* Is igitur *ſeptuagenario jam major, cui plus animi, plusque in rem communem ſtudii, quam vitæ ſupererat, operi ad finem decurrenti immoriens, Joanni* MORETO *teſtamento legavit, qui perficiendo pietatem, quam defuncti judicio debuit, præſtitit*, emittens illud anno 1598. *Antverpiæ*, dicansque *Noſtro* Kalend. Decembr. ejusdem anni his verbis: *Hanc* Tabulam, *Vir nobiliſſime! non mittimus ad Te, ſed remittimus... Tu eam ad Ortelium noſtrum.. deſcriptam miſeras, tua cura inter Peutingeri ſchedas repertam & erutam; ideoque ad Te redit... Accipies igitur privatam olim tuam, nunc publicam per Te omnium* Tabulam.... Quæ deinceps editiones aliæ ſecutæ, vel a viris doctis meditatæ fuerint: Quæ fata ipſum Tabulæ autographum habuerit, hoc loco fuſius enarrare ſuperſedeo; cum iſta *Noſtrum* minus tangere videantur, ſatisque habeo de his accuratius cognoſcere volentes ad *Hiſtoriam Vitæ ac Meritorum Conradi* PEUTINGERI a me editam remittere (*c*). Præclara Virorum eruditorum de hac *Noſtri* lucubratione judicia videri poterunt apud *Chriſtoph.* ARNOLDUM in *Præfatione* ad *Opera Marci* VELSERI junctim edita, inter quæ & hoc ipſum habetur *pag.* 705. *& ſeqq.* Confer, ſi placet, *Burc. Gotth.* STRUVII *Bibliothecam hiſtoricam, Tom. I. p.* 670. 752.

III. *Converſio & Paſſio SS. Martyrum: Afræ, Hilariæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ, quæ ante annos* 1300. *Auguſtæ Vindelicorum paſſæ ſunt. Cum Commentario Marci Velſeri Matthæi F. Aug. Vind. Venetiis.* in 4to. 1591. *Apud Aldum.* Extat etiam in

(*c*) Prodiit illa *Auguſtæ.* in 8vo. anno 1783. quam videſis *pag.* 117 — 123.

in Collectione *Operum Marci* VELSERI. *Norimbergæ.* 1682. in *folio*, *pag.* 437. *& ſeqq.* Item in *Actis Sanctorum Bollandianis. Tom. II. Auguſti*, *p.* 45. *& ſeqq.* in quo eruditiſſimo Opere ſemper, cum maximæ laudis præfamine, *Noſtri* mentio fit. Encomium, quod hac Scriptione a *Card. Cæſare* BARONIO promeritus *Noſter* eſt, habes in *Chriſtoph.* ARNOLDI *Præfatione* ad *Opera Noſtri* junctim edita. 1682. in *folio.*

IV. *Marci* VELSERI *Matthæi F. Ant. N. Patritii Aug. Vind. Rerum Auguſtanarum Vindelicar. Libri octo.* in *folio. Venetiis.* 1594. Ad calcem Operis adjectæ *Inſcriptiones* ſeu *Antiqua*, *quæ Auguſtæ Vindelicorum extant Monumenta: Antiqua agri Auguſtani Monumenta*, *&c. &c.* prout ſuperius *No. I.* monui. Dedicavit hoc Opus ſuum *Noſter Joanni* VELSERO atque *Chriſtophoro* ILSUNGO *Duumviris Auguſtanis*, & *Septemvirum Collegio.* Exſequitur autem in illo Auctor *Gentis & Urbis initia, rerumque exinde ſeriem, quæ per annos amplius quingentos quinquaginta ſub Romanis & Gothis*, *qui Romanos veluti umbra corpus ſolet*, *conſequuti ſunt*, *evenere.* Principem hanc editionem alia excepit *Francofurtenſis* anni 1594. teſte *Eliæ* EHINGERI *Biblioth. Auguſt. Catalogo*, quam meis oculis vidi in 4to. excuſam: rurſus alia anni 1595. *Wolfg. Dieterico* CÆSARE *Auguſtano*, *cive Francofurtenſi* eam editionem promovente, ut leviori pretio haberi Opus propagarique per Europam poſſet (*d*). Habetur etiam editio *Auguſtana* anni 1620. & *Norim-*

(*d*) Vide memorati CÆSARIS *Dedicationem* præmiſſam *Engelberti* WERLICHII *Chronicæ Auguſtanæ* vernaculæ. Confer ſuperius Paragraphum: CÆSAR (*Joannes*) *nota* (*b*).

rimbergenſis anni 1682. ſcilicet inter alia *Opera Marci* VELSERI a *Chriſtoph.* ARNOLDO hoc anno in *folio* publicata. In *germanicam* linguam converſum ab *Engelberto* WERLICHIO prodiit hoc idem Opus in *folio*, *Francofurti*, anno 1595. Quemadmodum autem *aliis ceſſantibus* primus omnium ad condendum arduum hoc Opus animum adjecit *Noſter*, ita illud tanta diligentia, tanta eruditione perſcripſit, ut Eruditorum omnium ſuffragia tulerit. Quam præclare illi, nominatim *Ant.* POSSEVINUS, CASAUBONUS, *Paganinus* GAUDENTIUS, de hoc labore Noſtri ſenſerint, docet *Chriſtoph.* ARNOLDI *Præfatio* ad *Opera M.* VELSERI. His jungi poterit Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *ſenior* (*e*) dicens: *Unter dieſen* (puta inter Scriptores Rerum Auguſtanarum) *verdienen mit allem Recht den erſten Rang Marci Velſeri... Rerum Auguſtanarum... Libri VIII. welche von dieſer Art Schriften ein rechtes Meiſterſtuck ſind, dergleichen wenig teutſche Städte aufzuweiſen haben werden. Nur iſt zu bedauern, daß dieſer gelehrte Mann ſolche Arbeit nicht weiter fortgeſezt, als bis auf das* 552. *Jahr nach Chriſti Geburt. Man kann mit Wahrheits-Grund ſagen, daß er in ſelbigen alles, was in den Römiſchen und andern Geſchichtſchreibern von Augſpurgiſchen Denckwürdigkeiten nur immer zu finden geweſen, mit der gröſten Vorſichtigkeit und Fleiß zuſammen getragen, und dadurch die Augſpurgiſche Alterthümer in ein ungemeines Licht geſezt... Ich geſtehe ganz offenherzig, das ich mich deſſelben zu den* 3. *erſten Capituln meiner Augſpurgiſchen Hiſtorie, weilen ich doch nir-*

(*e*) Vide ejus *Hiſtoriam Urbis Auguſtanæ*, germanice editam, *Tom. I. in Anteceſſ. de Script. Rer. Auguſtan.* §. *I. n.* 1.

nirgends beſſere Nachrichten hätte finden können, ſo viel mein Vorhaben erfordert,hauptſächlich bedienet. Juvat etiam *Jac.* BRUCKERUM (*Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit*, *p.* 71.) audire dicentem: *Da er die Augſpurgiſche Hiſtorie zu beſchreiben unternommen, hat er ſeine groſſe Einſicht in die Römiſche Geſchichte, zumal was die Pflanz-ſtädte betrifft, ausnehmend gezeigt.* Confer *Burc. Gothh.* STRUVII *Bibl. hiſtor. Tom. II. p.* 1008. & BOECLERI *Bibliograph. hiſtor. politic.* §. 27. qui tamen nimis acerbe in partis adverſæ homines invectum fuiſſe *Noſtrum,* haud dubie immerito, conqueritur.

Utcunque vero iſta ſe habeant; nuper *Antonius* ROSCHMANNUS, in *Veldidena* ſua, VELSERI, *qui Auguſtam Rhætiæ urbem principem ſtatuerat*, ſententiam multis exagitandam, infirmandamque ſuſcepit, ita tamen ut maximam ſemper reverentiam *Noſtro* habeat, juſtasque ei laudes dicere minime intermittat.

V. *Hiſtoria ab Eugippio ante annos circiter MC. ſcripta, qua tempora, quæ Attilæ mortem conſecuta ſunt, occaſione Vitæ S. Severini illuſtrantur. Ex Bibliotheca S. Emmerani Reginoburg. nunc primum edita, cum Scholiis.* in 4to. *Auguſtæ Vindelicorum. Ad inſigne pinus.* 1595. Lucubratio hæc VELSERUM parentem habet, etſi is nomen ſuum eidem non præpoſuerit. Voluit autem, eam *Georg.* LAUTERIO (*f*) SS. Theolog. Doctori, Præpoſito *Monachien-*

(*f*) De *Georg.* LAUTERIO ſequentia ex *Annalibus Academiæ Ingolſtadienſ.* a *Jo. Nep.* MEDERER editis, *Tom. I. p.* 249. 267. 272. 281. diſcimus: „ Patria fuit *Ehingenſis.* „ Anno 1557. albo memoratæ Academiæ inſcriptus; an„ no dein 1561. ad diem 2. Januar. cum aliis quatuorde„ cim *Artium Magiſtris* ſuprema laurea (jam tum *pres-* „ *byter*

chienſi, Canonico *Batavenſi*, SS*mo* Boiorum Duci *a conſiliis*, ſacram eſſe; cujus ipſius ſeſe *obſervantem*, *& incredibiliter amantem* profitetur. Exhibet autem hæc Scriptio *Vitam S. Severini*, quam mutilam SURIUS ad diem 8. Januarii; ſed integram primus edidit *Noſter* Scholiis illuſtratam. Poſtea tranſiit illa in *Vitas Sanctorum* SURII iterum cum *Auctuario* vulgatas: in Collectionem *Operum M.* VELSERI, a *Chriſtoph.* ARNOLDO, *Norimbergæ*. in folio. 1682. emiſſam: in *Acta Sanctorum Bollandiana*, *Tom. I. Januar. p.* 484: in *Hieronymi* PEZII *Scriptor. Rer. Auſtriac. Tom. I. p.* 64. Confer *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth. lat. med. & inf. Latinit. Tom. II. p.* 121. *Edit. Manſianæ*; & *Catalogum Biblioth. Bunavianæ*, *Tom. III. p.* 971. Vide etiam, ſi lubet, *Guilielm.* CAVEUM *de Script. Eccleſ. p.* 322. & *C.* BARTHIUM in *Adverſar. Libr. XIX*.

VI.

„ *byter*) condecoratus eſt. *Georgio* THEANDRO, parocho ad D. Virginem *Ingolſtadii*, munere iſto ſeſe abdicante, illud ſuſcepit LAUTERIUS anno 1562. parochus academicus *duodecimus*, ab inſtituta parochia *decimus ſextus*. Hanc cum annos tantum duos rexiſſet, inde avocatus a SS*mo* Bojorum Duce *Alberto* concionandi apud ejus SS*mam* Celſitudinem munere per aliquot annos functus eſt. Poſt receptis in *Italia* doctoralibus inſigniis, Canonicus apud D. Virginem *Monaci*, *Friſingæ* & *Patavii* in Eccleſiis cathedralibus factus; ſubin etiam Præpoſitura *Monacenſi* a SS*mo* Principe, pro ſuis multis in Religionem beneficiis, laboribusque SS*mi* Principis nomine exhauſtis donatus eſt. " His addunt citati *Annales*: „ Magnæ eſt auctoritatis apud SS*mum* Principem, cujus eſt Conſiliarius, tum propter eruditionem, tum etiam vitæ integritatem, zelumque in Religione ferventem, & quod SS*mus* Dux illius opera in rebus arduis frequenter utitur. Deus virum illum, vivum pietatis, humilitatis & humanitatis exemplar, quam diutiſſime ſervet incolumem! "

VI. *De Vita S. Udalrici, Auguſtanorum Vindelicorum Epiſcopi, quæ extant : pleraque antea nunquam edita.* in 4to. *Auguſtæ Vindelicorum. Ad inſigne pinus.* 1595. Neque huic Operi, quod *venerabili Clero ſanctæ Eccleſiæ Auguſtæ Vindelicorum* ſacravit *Noſter*, nomen ſuum adſcripſit : congeſſit autem in illud 1o. *Vitam & Miracula S. Udalrici* ſcripta, poſt ejus obitum anno 20. nondum exacto, ab *Auctore anonymo.* 2o. *Bullam canonizationis S. Udalrici.* 3o. *Vitam S. Udalrici imperfectam*, ſcriptam a *Gebhardo* Epiſc. Auguſtano. 4o. *Vitam S. Udalrici* a *Bernone Augienſi* ſcriptam. 5o. *Inventionem & Translationem Corporis S. Udalrici, Auctore* ſeu *Auctoribus incertis.* 6o. *Stemma Kyburgenſium Comitum.* Recuſa hæc omnia in Collectione *Operum M.* VELSERI. *Norimbergæ.* 1682. in *folio* : in *Actis Sanctorum Bollandianis*, *Tom. II. Julii*, *p.* 73 : In *Joann.* MABILLONII *Actis SS. Ord. S.Benedicti*, *Sæculo V. p.* 413.

De reliquo operam a *Noſtro* in his vel noviter edendis vel ad fidem MSStorum recudendis poſitam inſigni hoc elogio mactat *Card. Cæſar* BARONIUS in *Annal. eccleſ.* ad annum 924 : *Bene precamur viro maxime pio atque diſcreto Marco* VELSERO *Auguſtano*, *qui latentem & pene obrutum terra fonticulum*, *ut iterum flueret*, *laboravit* ; *dum* (*inquam*) *ejuſdem Udalrici Vitam primitus ſcriptam ab Auctore*, *qui eum oculis vidit*, *& cum eo converſatus eſt*, *jam oblivione ſepultam typis cudendo & notis illuſtrando revocavit ad vitam.* Pauloque poſt ait : *Habes omnia*, *quæ ad hunc Sanctum ſpectant*, *in unum redactum volumen*, *lucubratum*, *& illuſtratum notulis a diſerto Viro M.* VELSERO &c.

VII. *Narratio eorum, quæ contigerunt Apollonio Tyrio. Ex membranis vetuſtis.* in 4to. *Auguſtæ Vindelicorum. Ad inſigne pinus.* 1595. Etiam hoc Opus carere nomine ſuo voluit editor VELSERUS. Membranas autem illas invenit in Bibliotheca *SS. Udalrici & Afræ, Auguſtæ*, excutiens, ut ait, ex alia occaſione illius Bibliothecæ armaria. Recuſa hæc *Narratio* cum aliis *M.* VELSERI Operibus *Norimbergæ.* in *folio.* 1682. cujus editionis *Præfationem*, itemque *Jo. Alb.* FABRICII *Bibl. græc. L. V. P. II. p.* 805. conſulere non pigeat. Adde Librum: *Merckwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu Dresden, T.* 2. *p.* 206. & *Catalogum Biblioth. Bunavianæ, Tom. I. p.* 246.

VIII. *Marci* VELSERI *Rerum Boicarum Libri quinque, Hiſtoriam a Gentis origine ad Carolum M. complexi.* in 4to. *Auguſtæ Vindelicorum. Ad inſigne pinus.* 1602. Scripſit hoc Opus *Noſter*, jubente *Maximiliano* Duce, eidemque etiam inſcripſit. Vide *Epiſtolas Noſtri*, p. 863. 864. Miris illud laudibus, ut primum comparuit, extulere Viri ævi illius eruditi, *Iſaacus* CASAUBONUS, *Georg. Mich.* LINGELSHEMIUS, *Jac.* BONGARSIUS, *Lælius* BISCIOLA, *Melchior* ADAMUS, *Nicol.* SERRARIUS, *Andreas* BRUNNERUS, aliique; quorum judicia videſis in unum collecta in *Chriſtoph.* ARNOLDI *Præfatione* ad *Opera M.* VELSERI noſtri. 1682. *Norimbergæ.* in *folio*, inter quæ memoratum Opus primum locum obtinuit; quod, *veluti ſol aſtrorum, ſic iſtud Operum Noſtri principatum habeat.* De illo *Eruditi Lipſienſes* (g) in hæc verba ſententiam tulerunt: *Sic nobiscum omnes ſentient, quibus* VELSERI *Commentarios inſpicere contigit, ut fuit Vir in omni vita litte-*

(g) *Actorum, Tom. I.* 1682. *p.* 169.

litterarum amantiſſimus , *ac in ornandis iis promovendisque incredibili ſtudio* , *ita* Boicas *præcipue* Antiquitates *neminem eo certius eruiſſe* , *aut illuſtraſſe rectius* ; *quem proinde ducem ſequi* , *ſpretis* AVENTINI *commentis* , *qui Bavaricæ poſt illum Hiſtoriæ manum admoverunt* , BRUNNERUS , RADERUS ADLZREUTERUS, RETTENPACHERUS *nulli dubitarunt.* Hinc & *Jac.* BRUCKERUS (*h*) fidenter aſſeveravit : *Sonderlich hat die Hiſtoria Bavarica den Beyfall aller Kenner verdient ; indem er Wahrheit* , *Aufrichtigkeit* , *und Gründlichkeit mit einer ganz ungewöhnlichen Gelehrſamkeit darinnen verbunden* , *und damit es zu einem Hauptbuche gemacht hat.* Maximam Item laudem huic Operi *Burc. Gothh.* STRUVIUS in *Bibl. hiſtor. p.* 1076. LEIBNITZIUS in *Præfat.* ad ADELZREUTERI *Annal. Boicorum* editionem. LUDEWIGIUS in *Germania principe*, *L. IV. c.* 6. *n.* 15. & BOECLERUS in *Bibliograph. hiſt. polit.* §. 27. tribuerunt. Idem Opus a *Paulo* VELSERO , fratre *Noſtri* , germanicam in linguam (*Noſtro* inſpectante & verſionem adjuvante) converſum prodiit *Auguſtæ.* 1607. Sed de hoc vide Paragraphum ſequentem VELSERUS (*Paulus*). Noviſſime idem Opus recudi fecit , addito *Libro ſexto* , *Jo. Caſp.* LIPPERT ; de quo inferius ſermo habebitur. Hoc loco monere adhuc debeo, *Noſtrum*, quod *Libr. II.* de OTFRIDO *Weiſſenburgenſi* Monacho ſcripſerit,eum *Germaniæ ſermonem* , *ſcriptu ea ætate perdifficilem* , *omnium primum litteris tractare aggreſſum fuiſſe* , erroris a *Davide* HOFMANNO in Libro : *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache*, *T. I. p.* 643. non inepte inſimulatum eſſe. Similiter *Noſtrum* ob ea , quæ de *Zacharia* Papa , & *Virgilio* Epiſc. *Salisbur-*

O 2

(*h*) *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit* , *p.* 71.

liſburgenſ. in his *Annalibus* ſcripſerat, in Libro: *Neue Bibliothek*, *T. III. p.* 139. culpatum fuiſſe, advertit *Nic. Hieron.* GUNDLING *Hiſtor. der Gelahrtheit*, *p.* 3921.

IX. *Epiſtolæ ad Viros illuſtres latinæ & italicæ*, ad *Joſeph.* SCALIGERUM, *Juſtum* LIPSIUM, *Bon.* VULCANIUM, *Car.* CLUSIUM, *Joann.* MEURSIUM, *David.* HOESCHELIUM, aliosque plures, quos nominatim perſequi, brevitatis gratia, ſuperſedeo. Has Epiſtolas in unum collectas, auxilium præcipue ferentibus HEINSIO, DAUMIO, MAGLIABECCHIO (*i*) primus cum reliquis *Noſtri Operibus* vulgavit *Chriſtoph.* ARNOLDUS, in *folio. Norimbergæ.* 1682.

Et quoniam de *Arnoldina* Operum *Velſerianorum* editione rurſus ſermo incidit, operæ pretium judico, ejus editionis (*Daniele* inprimis ac *Carolo* VELSERIS (*k*) faventibus, promoventibus, incitantibus) a *Chriſtoph.* ARNOLDO adornatæ oeconomiam ambitumque paullo fuſius exponere. Titulus hic eſt: *Marci* VELSERI *Matthæi F. Antonii N. Reipubl. Auguſt. quondam Duumviri Opera hiſtorica & philologica*, *ſacra & prophana . . . accurante Chriſtophoro* ARNOLDO. c. fig. in *folio. Norimbergæ.* 1682. Titulum excipit *Præfatio* ampla, in qua inſtituti ſui, a Viris doctiſſimis comprobati ac liberali opera promoti rationem reddit, ſimulque de ſingulis VELSERI *Operibus* a ſe exhibitis Doctorum judicia proponit. Præfationi ſuccedit proli-

xa

(*i*) Ita teſtatur *Jac.* BRUCKERUS in *Ehrentempel*, *l. c.* De reliquis Eruditis, qui ARNOLDO *Epiſtolas* VELSERI publicandas ſubmiſerunt, vide ipſius ARNOLDI *Præfationem* ad *Opp. M.* VELSERI.

(*k*) Teſtatur hoc ipſe ARNOLDUS in *Vita Noſtri*, *p.* 52. 53.

xa *de Vita*, *Genere & Morte M.* VELSERI Tracta-tio, cui ſubduntur *Juſti* RYCQUII *Gandenſis Pietas in funere M.* VELSERI, *ad Joannem* BRANTIUM, & *Manes M.* VELSERI a *Georg.* REMO *Norimbergæ.* in 4to. olim (anno nimirum 1617.) excuſi, hic recuſi. Poſt hæc continua ſerie, etſi ordine alio, exhibentur *Opera M.* VELSERI præcedentibus *IX. Numeris* a me commemorata (*), quibus ulterius addenda ARNOLDUS cenſuit *Sauli* MERCERI *Virgilium Protheum*, olim abs *Henrico* MEIBOMIO nomini *Noſtri* conſecratum, & *Mantiſſam triplicem* (*Dedicationem Noſtri* ad *Ferdinandum Caroli F. Archiducem Auſtriæ*, præfixam *Reliquis Librorum Friderici II. Impp. de Arte venandi cum avibus* : *Epiſtolam Noſtri* quaſi deprecatoriam ad *Iſaacum* CASAUBONUM : *Fragmentum* denique *Epiſtolæ Noſtri* ad *Marquardum* FREHERUM *de Statura & Barba Caroli M.*) continentem. Subjicitur *Index Rerum & Verborum in M.* VELSERI *Opp. memorabilium.* Totum Opus claudit *Publilii* OPTATIANI *Porphyrii Panegyricus Conſtantino Auguſto dictus*, *e Bibliotheca Pauli* VELSERI, *Spicilegio critico Chriſtiani* DAUMII ornatus.

* De reliquo operam in edendis denuo *M.* VELSERI *Operibus* quam optime poſitam abs ARNOLDO fuiſſe, teſtati ſunt *Eruditi Lipſienſes* (*l*) his verbis: *Ut non uno nomine litterarum orbem obſtrictum ſibi dudum habet V. Cl. Chriſtophorus* ARNOLDUS ;

O 3 ita

(*) Nota, *Inſcriptiones* a me *No. I.* memoratas non exhibet ſeparatim ARNOLDUS; eo quod illæ auctiores ſub novo titulo: *Antiqua Monumenta &c.* VELSERI Commentariis *Rerum Auguſtanarum* adjunctæ habentur.

(*l*) In *Actis* ſuis, *Tom. I.* 1682. p. 169. quæ, ſi libet, conſule.

ita *nova hac Operum M.* VELSERI *editione denuo meritus de eodem eſt præclare. Quotusquisque enim Eruditorum eſt, qui non optime conſultum putet rei litterariæ, recuſis ac publico velut redonatis egregiis* VELSERI *monumentis, quæ longo jam tempore nullo pretio potuerunt comparari, & legi tamen ac pervolvi diligenter ab omnibus omnino merebantur.*

Erit abs te, Lector! huic digreſſioni venia eo facilior; quod & ad laudes *Noſtri* pertinere aliquo modo viſa ſit; & hæc ipſa *Arnoldina* editio, utpote ex annorum plus centum ſpatio, multum jam infrequens ac rara eſſe cognoſcatur (**).

Modo tempus cetera perſequi jubet, & prædictis ea, quæ vel ARNOLDUM, diligentiſſimum ceteroquin & accuratiſſimum *Operum Velſerianorum* collectorem, latuerunt, vel primum poſt ſuprema ejus fata juris publici facta ſunt, adjicere. Qua in re ita me geram, ut dicenda ex ordine præcedentium *IX. Numerorum*, aut (ſicubi res aliter exigit) ex annorum ſerie proponam. Eſt etiam, cur mihi hoc loco multum gaudeam; cum nec pauca ſint, nec proletaria, quæ monere orbem eruditum habeo.

10. Didicimus ex iis, quæ ſuperius *No. I.* & *IV.* a me dicta ſunt, VELSERUM ſuis *Rerum Auguſtanarum* Commentariis *Venetiis.* 1594. in *folio* impreſ-

(**) Sic factum tandem, quod Cl. LUDEWIGIUS in *Germania principe Libr. IV. c.* 6. olim non factum, miratus eſt. Capere ishaud poterat, *bibliopolam conqueri, quod tam eruditus ac utilis labor raros habeat emptores.* Latuit nimirum LUDEWIGIUM, quod diutina experientia didici: hujusmodi Librorum eam eſſe naturam, ut primum 80. vel 100 ab ortu ſuo annis rareſcant. Confer Librum: *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen.* |*Leipzig.* 8°. 1722. *pag.* 133.

impreſſis *Antiqua Monumenta*, *quæ Auguſtæ Vindelicorum extant &c. &c.* (Hæc ille *ibidem* quadriennio ante, nimirum anno 1590. cudi, ſub titulo: *Inſcriptiones*, curaverat) ſecundis curis auctiora adjeciſſe. In iſtorum *Monumentorum*, ſeu *Inſcriptionum* (ſi magis placet) ſupplementum hic I. memorandum venit aliud vetuſtatis Fragmentum, quod VELSERI *Monumentis* plane jungi debet, ſcilicet *Lapis ſepulchralis Lirinii* cujusdam. Hic alicui erudito Anonymo *Auguſtano* tanti viſus eſt, ut eum æri inſculptum, doctaque *explicatione* ornatum orbi erudito ſingulari pagella in *folio* ſpectandum obſervandumque exhiberet. Primo is narrat, quando & qua ratione lapidem illum inveniri contigerit, dicens: *Poſt annos mille ſexcentos octavo quadrageſimo chriſtianæ ſalutis, cum Auguſta Vindelicorum novo munitionis opere circumvallaretur, inter portas piſcatoriam & vindonicam ex apertis foſſis eruderatus eſt hic lapis & juxta porticum ad D. Udalrici collocatus.* Dein notas ſeu litteras lapidis in hæc verba interpretatur: *Cujus inſcriptionem, quid mirum, ſi vetuſtate mutilatam, aut vitio ſtatuarii minus perfectam, ſic habeto:* CAI JULI SILANI LIRINIUS LIBERTINUS, NATIONE BITURIX, ANNORUM XIIX. HEIC SITUS EST. Denique, poſt allatas eruditas animadverſiones, ſic concludit: *Vale, Lector! & ſi Cl. Viri Marci* VELSERI *Patrit. & Il. Viri Auguſt. Res Auguſtanas cum antiquis, quæ ibidem extant, Monumentis, in Bibliotheca tua repoſitas habes, hoc quoque illis adjunge, nec non ſi quid circa illud ulterius monendum occurrit, ediſſere.* Viſitur etiamnum juxta memoratam porticum *Lapis* iſte, in cujus pede annum & menſem *Martium*, quo effoſſus eſt, inventores inſcalpendum curaverunt. Quæres, quis Vir ille eruditus fuerit, qui tantum

honoris memorato Lapidi habere voluerit ? Aſſerere nihil habeo , Optime ! attamen conjicere. Quid ? ſi *Georg. Hieronymus* WELSCHIUS , clariſſimum inter *Eruditos Auguſtanos* nomen , fuiſſet. Certe huic curæ fuiſſe *Monumentis Auguſtanis* nonnulla addere , quæ *Marcus* VELSERUS fato præreptus videre non potuit , quia ſerius eruta & cognita fuerunt , tradidit *Lucas* SCHROECKIUS & ipſe *Auguſtanos* inter multo eruditiſſimus (*m*) ; nihil tamen de his ſibi conſtare profeſſus. Interim quod Vir eruditus *Auguſtanus* optaverat (ut, ſi quis circa iſtum *Lapidem* ulterius aliquid monendum haberet, id ediſſereret) præſtitit *Thomas* REINESIUS , anno 1654. ad *Joann. Andr.* BOSIUM parvum Commentariolum in mox memoratum *Lapidem* ſcribens, quem idem BOSIUS anno ſequenti *Academicorum Gallicorum Corpori inclyto* inſcriptum publicavit, adjecta explicatione Anonymi *Auguſtani.* Habetur Commentariolus iſte etiam in *Thomæ* CRENII *Muſæo hiſtorico & philologico II.* in 8°. 1700. *Lugduni Batavorum* excuſo , p. 407. & in ipſius REINESII *Syntagmate Inſcriptionum antiqq.* in *folio* , *p.* 834. Peſſime vero REINESIUS rem ſuam egit, qui , Anonymum *Auguſtanum* exſibilans , inſcriptionemque *Lapidis* temere ac nulla cauſſa movente longe aliter legens , criſin *Matthiæ Friderici* BECKII (in *Monumentis Judaicis Auguſtæ Vindelicorum repertis* , *p.* 58. & *ſeqq.*) effugere haud potuit , in hæc verba ſcribentis : REINESIUS *ſane , ut in reliqua elegantiori , ita etiam in hac Inſcriptionum litteratura longe verſatiſſimus fuit. Verum (quod ſummis ingeniis commune admodum eſt) conjecturis ſuis nimis*

(*m*) In *Memoria Welſchiana. c.* 9. *n.* 64.

mis indulget: quod vel ex hoc ejus Commentario ſatis ſuperque liquet ; quot enim nomina, tot ejus ſunt conjecturæ. II. Laudanda præterea occurrunt *tria Romana Monumenta*, quæ ſupra laudatus *Matth. Frider.* BECKIUS, clarus *Auguſtanos* inter Philologus,anno MDCLXXXVI. juris publici fecit, editisque a ſe in forma octopertita *Monumentis Judaicis*, in *Operis Velſeriani ſupplementum*, per modum *Mantiſſæ* ſubjunxit, additis etiam iconibus *Monumentorum* nonnullis. Occurrit ibi *tertio* loco memoratus *Lapis ſepulchralis Lirinii*, in quo legendo BECKIUS Anonymum *Auguſtanum*, relicto REINESIO, fido pede ſequitur. Priora bina vero, a BECKIO exhibita, Monumenta etiam in *Supplemento antiquorum, quæ Auguſtæ Vindelicorum extant, Monumentorum ... ab ipſo Marco* VELSERO collecto, a *Jacobo* BRUCKERO autem typis vulgato, de quo confeſtim ſermo habebitur, occurrunt, licet aliter explicatu nulliſque iconiſmis ornata. III. Nullo modo illaudata abire debet (quod mox monui) diligentia ſagacitasque *Jacobi* BRUCKERI, ſupplendis VELSERI *Monumentis* feliciſſime impenſa. Adſcripſerat nimirum *Marcus* noſter *ſecundæ* editioni *Monumentorum* ſuorum plura Antiquitatis fragmenta poſtea a ſe detecta, eaque ſuis quæque locis accurate annotarat: ſive quod tertiam editionem opportuno tempore ac loco faciendam meditatus ſit: ſive quod in univerſum colligendæ ac ſervandæ Antiquitatis ſtudioſiſſimus fuerit. Iſtum Codicem (*n*) cum a quodam Erudito Auguſtano mutuum obtinuiſſet *Jacobus* BRUCKERUS, *indignum judicans, ſi quidquam a Viro tanto profectum in tenebris lateret, Supplementa iſta deſcri-*

(*n*) Extat is modo in Bibliotheca *G. G.* ZAPF.

ſcribere, *& quod in Norimbergenſi quoque Operum Noſtri editione omiſſa fuiſſent*, *utpote incognita ſine dubio*, *& in latebris deliteſcentia*, *publicæ luci ſiſtere decrevit.* Primo igitur ea *Joannis Georgii* SCHELHORNII *Amoenitatibus litterariis*, *Tom. V. p.* 116. deinde etiam ſuis *Miſcellaneis Hiſtoriæ philoſophicæ*, *criticæ*, *litterariæ*, *p.* 585. inſeruit, ſequentem eis titulum ſcribens:

> *Antiquorum*, *quæ Auguſtæ Vindelicorum extant*, *Monumentorum*, *a ſummo Viro Marco* VELSERO *Duumviro Auguſtano*, *ad calcem Rerum Auguſta-Vindelicarum editorum* SUPPLEMENTUM, *ab ipſo Auctore collectum.*

Ut hac ratione (Verbis utor BRUCKERI) *egregium antiquitatis vetuſtiſſimæ*, *qua Vindelica Auguſti Colonia merito ſuperbit*, *monumentum*, *quod illi* VELSERI *ſui erexit eruditio*, *iſtis quoque acceſſionibus augeretur*, *& ſua quaſi conſtaret integritate.*

20. *Imagines Sanctorum Auguſtanorum Vindelicorum æreis tabellis expreſſæ.* in folio. *Auguſtæ Vindelicorum. Ad inſigne pinus. Excudit Joann. Prætorius.* 1601. *Kalend. Septembr.* Conſtat Opus 24. Tabellis a *Dominico* CUSTODE (*o*) iconopola celebratiſſimo publicatis, & ab eodem *Antonio* VELSERO *SS. Theologiæ Doctori*, *Canonico Friſingenſi*, *Præpoſito Spalatenſi*, *SSmo Electori Colonienſ. & Epiſc. Friſingenſ. a Conſiliis*, de quo ſuperius ſuo loco ſermo habitus eſt, & *Chriſtophoro* REHLINGERO *J. V. Doctori Canonicoque Friſingenſi* dedicatis: quarum e regione brevis *Vitæ* cujuslibet *Sancti Deſcriptio* habetur. Hanc lucubrationem *Noſtro* adſcribere nullus dubito, poſtquam ei illam *Jacob.* BRUC-

(*o*) Confer, ſi lubet, *G. G.* ZAPF *Annales Typograph. Auguſt. p.* 107.

BRUCKERUS (*p*) diſertis verbis aſſeruit. Hinc eſt, cur magnopere mirer, eam reliquis *Noſtri Operibus* a *Chriſtophoro* ARNOLDO non fuiſſe inſertam: Quod ſi etiam Tabellæ æreæ temporis tractu interiviſſent, at ſaltem *Vitæ Sanctorum deſcriptio*, quæ ſuperſtes manſit, recudi potuiſſet. Interim ARNOLDUS non omnino nullam hujus Operis mentionem fecit, dum in *Vita M.* VELSERI, *p. 66.* BARONIUM citavit ad *annum* 303. *n.* 125. de *Noſtro* dicentem: *qui res geſtas* Sanctorum Auguſtanorum *egregie illuſtrandas ſuſcepit; ad quod Opus eum vehementer hortati ſumus.*

30. *Marci* VELSERI *Duumviri Auguſtani Rerum Boicarum Libri V. una cum Libro VI. hactenus inedito Hiſtoriam a Gentis origine ad annum* 844. *complexi. Accedunt ad Libros quinque priores Cl. Vir. Jo. Georg.* HERWARTI, *& Matth.* RADERI *Additiones & Emendationes æque anecdotæ, cum aliis tribus partim editis, partim ineditis ſummæ raritatis Opuſculis, huc pertinentibus. Edidit & præfatus eſt Joannes Caſpar* LIPPERTUS *Eques Boicus.* in 8vo. *Auguſtæ Vindelicorum.* 1777. Dicavit Editor *gratus, fidelis, obſequens* laborem ſuum V. Cl. *Andreæ Felici* OEFELIO b. m. *in amicitiæ & obſervantiæ non tenuis tenue monumentum.* In *Præfatione*, poſt laudes *M.* VELSERO dictas, primum de *quinque Libris prioribus Rerum Boicarum* monet, eos a *Noſtro* ad petitionem Ducum Bavariæ *Wilhelmi V.* & *Maximiliani I.* (*q*) conſcriptos fuiſſe: hos *Noſtrum meliores reddere, & duos præterea, quos in Adverſariis ſervarat, Libros abſolvere* in animo habuiſ-

(*p*) In *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit*, *p.* 71.

(*q*) Editio princeps *Rerum Boicarum*, anno 1602. facta folius *Maximiliani I.* nomen præfert.

buiſſe, *ſi per incredibiles morbi cruciatus ei licuiſſet*, docet ex Epiſtola *Noſtri* anno 1614. die 21. Maii, paucis ante ejus obitum diebus, ad *Matthæum* RADERUM data. *Latuerunt ambo hi Libri*, (*ſextus* ſcilicet *&* *ſeptimus*) *in bibliothecis*, *donec illuſtris* LIPPERTUS, *tum temporis Ingolſtadii ordinarii ac publici Jurium Profeſſoris munere fungens* Librum ſextum, *prioribus editis annexum*, *in Bibliotheca Univerſitatis*, *ad quam una cum reliqua Chriſtophori* GEWOLDI *ſupellectile litteraria hereditatis jure venit*, *detexit*, *&* *Monacenſi Scientiarum Academiæ eo fine transmiſit*, *ut cum aliis Rerum patriarum Scriptoribus in lucem proferretur. Ea autem propoſitum exſequi differente*, *Librum hunc ſextum*, LIPPERTUS *ſuo quaſi jure denuo ſibi vendicatum loco & anno indicato typis exſcribendum curavit.* Eſt autem Liber hic *ſextus non autographus*; *ſed tamen notæ optimæ*, *&*, *ut ſuſpicari licet*, *ex ſchedis Velſerianis ab Amanuenſi Chriſtoph.* GEWOLDI *deſcriptus*. Hæc de Libro *ſexto*. *Septimus* autem quo terrarum angulo abſconditus deliteſcat, cum ignorantiſſimis ignorare ſe dolens profitetur illuſtris Editor. Subin idem ad novæ ſuæ editionis oeconomiam explicandam pergit. Ait, *ſe operæ pretium facturum putaſſe*, *ſi Additiones & Emendationes Cl. Vir. Jo. Georg.* HERWARTI *&* *Matthæi* RADERI, *quas quisque ad oram Librorum editorum notaverat*, *adjiceret*: ſimulque *Lectiones variantes* ad *Concilium Dingolfinganum*, & ad *Capitularia Caroli M.* ex Codice ſuo membranaceo *Sæculi XII.* apponeret. Libris ſex *Rerum Boicarum* ſic a ſe vulgatis ſubjecit illuſtris Editor tria rariſſima Opuſcula; unum: *Leontii Pamphili Alſatici Apologiam ſeu Recriminationem adverſus Scripta Marci* VELSERI

(*r*):

(*r*); ſecundum: *Reſponſe de l' Autheur de l' Hiſtoire de Baviere* (VELSERI puta) *aux Eſcris dernieres de* ROSIERES (*s*) : tertium: *Cratonis Sylvii Nariſci Reſponſio brevis & perſpicua ad Apologiam ſeu Recriminationem Leontii Pamphili Alſatici* (*t*).

40. *Epiſtolis* VELSERI abs *Chriſtophoro* ARNOLDO (*) editis, ſequentes junges, Lector! I. Epiſtolam *unam* ad *Henricum* CANISIUM, in qua de Synodo *Regiaticina* agitur: Extat ejus Excerptum in LABBEI & COSARTII *Conciliorum* maxima *Collectione*, *T. IX. p.* 1075. & in *Henr.* CANISII *Lectionibus antiqq. Tom. II. P. II. p.* 355. Editionis *Basnagianæ*, adjecta nova BASNAGII obſervatione, qua VELSERUS corrigitur. II. Epiſtolam *unam* ad *Jacobum* SIRMONDUM Societ. Jeſu, datam anno 1610. 24. No-

(*r*) Hanc ſub ementito iſto nomine *Franciſcus* ROSERIUS (*de* ROSIERES) in *Noſtrum* publicavit, offenſus *Animadverſione Velſeriana* quadam, quæ *Libro IV. Rer. Boicarum*, editionis *Lippertinæ*, *p.* 261. occurrit.

(*s*) Cauſæ ſuæ ſecurus VELSERUS nulla reſponſione publica dignatus eſt ROSIERIUM; ſed ſolummodo ad avertendam a ſe invidiam, quam ei ROSIERIUS in aulis *Boica* & *Lotharingica* intendebat, privatam gallico idiomate adornavit, & SSmis Mæcenatibus ſuis transmiſit, quam ex Adverſariis *Chriſtophori* GEWOLDI deſcriptam hic exhibere voluit illluſtris LIPPERTUS.

(*t*) Sub *Cratonis Sylvii* nomine latere voluit *Chriſtoph.* GEWOLDUS, VELSERO amiciſſimus, uti docet ſæpius memoratus illuſtris LIPPERTUS.

(*) *Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Vita M.* VELSERI, *p.* 55. monet, *Galilæi de* GALILÆIS *Epiſtolis III. de Maculis ſolaribus* quatuor Epiſtolas *Noſtri* adjunctas repperiri. Num eas *Epiſtolis Velſeri* ſub finem *Operum Noſtri* exhibitis inſeruerit ARNOLDUS, dicere haud poſſum; cum pluries nomina eorum, ad quos Epiſtolæ a *Noſtro* datæ fuerunt, deficiant. Quod ſi non feciſſet ARNOLDUS, hoc loco ſupplendæ eſſent.

24. Novembr. in qua ei de GOFFRIDO *Vindocinenſi* muneri ſibi miſſo gratias agit, & ut, quem *Romæ* coepiſſet, *Lutetiæ* amare pergeret, obſecrat: Extat in *Jac.* SIRMONDI *Operibus, Tom. IV. p.* 513. Editionis *Venetæ*. III. Epiſtolam *unam* ad quendam *Zwifaltenſis* Aſceterii alumnum ſcriptam anno 1610. XV. Calend. Junii, de vetuſta *Inſcriptione* ibidem reperta, ad *Solem* pertinente: Extat in *Arſenii* SULGER *Annalibus Zwifaltenſis Monaſterii, T. II. pag.* 204. IV. Epiſtolam *unam* ad KIRCHMANNUM, quam inter *Gudianas Petrus* BURMANNUS, *p.* 185. exhibet. V. Epiſtolam *unam* ad *Joann.* MEURSIUM, quam idem BURMANNUS *Gudianis* inſeruit. VI. Præter hanc, & aliam ad MEURSIUM, a *Chriſtophoro* ARNOLDO, *Operum M.* VELSERI noſtri, *pag.* 837. exhibitam, Epiſtolas *quinque* novas *Noſtri* ad MEURSIUM, amicitiæ & officii omnis pleniſſimas, a *Jo.* GRAMMIO ſibi humaniſſime communicatas & doctis obſervationibus ab eodem hinc inde illuſtratas, in nova *Operum Jo.* MEURSII editione *Florentina* (*u*) exhibuit *Joann.* LAMIUS. VII. Epiſtolam *unam* ad *Eliam* EHINGERUM, de THEMISTHIO non - chriſtiano, habes in *Jo. Georg.* SCHELHORNII *Amoenit. litterariis, Tom. III. p.* 247. & *Tom. IV. p.* 562. VIII. Epiſtolas *tres* ad *Conrad.* RITTERSHUSIUM, alias ab iis, quas *Chriſtoph.* ARNOLDUS, *Operum Marci Velſeri, p.* 854. 855. exhibuit, publico dedit *Theophil.* SINCERUS in *Notitia hiſtorico - critica Libbr. veter.* 1753. in 4to. IX. Epiſtolam *unam* ineditam ad eundem RITTERSHUSIUM habent *Miſcellanea Lipſienſia. Nov. Vol. V. P. II. p.* 374. X. Epiſtolam

unam

(*u*) Ibi vide *Tom. I. p.* 30. 31. & *Tom. XI. p.* 70. 94. 126. 135. 145. 149. 189.

unam germanicam ad *Chriſtophorum* GEWOLDUM, ad controverſiam, quæ *Noſtro* cum *Franciſco de* ROSIERES interceſſit, pertinentem, in lucem protulit *Jo. Caſpar* LIPPERTUS Eques Boius, in *præfatione* ad *Marci* VELSERI *Rerum Boicarum Libros* a ſe denuo editos.

Hæc de *Epiſtolis Noſtri*, quæ poſt *Arnoldinam Operum M.* VELSERI editionem in apricum prolatæ fuerunt. Complures vero adhuc *ineditas* latere in Bibliothecis, indubium eſt. Sic ex Bibliotheca *Theophili* SPIZELII multas in Bibliothecam Perilluſtris *Raymundi de* KRAFFT migraſſe, ex *Jo. Georg.* SCHELHORNII *Amœnit. Litter. Tom. III. p.* 115. 117. diſcimus. Sic *Joann. Chriſtoph.* WOLFIUS Paſtor *Hamburgenſis* in ampliſſima *Suppellectili* ſua *epiſtolica & litteraria manu exarata*, *p.* 62. unam *Noſtri* ad *Georg.* REMUM (*x*): itemque *l. c. p.* 251. Excerpta ex *Epiſtolis Noſtri* ad *Marquardum* FREHERUM poſſedit: Sic ſupra laudatus *Jo. Caſp.* LIPPERTUS *l. c.* plures *Noſtri Epiſtolas* tenere ſe, ſeque eas cum aliis GEWOLDI, SCIOPPII, RADERI (*ſi Deus vitam & munera multifaria otium neceſſarium indulſerint*) *publici juris facturum* monuit; quod egregium laudeque digniſſimum propoſitum ut felicem exitum habeat, ex animo precor.

Hucusque de Scriptis VELSERI, quæ eundem veriſſime parentem ſuum agnoſcunt. Superant alia; unum præ reliquis, quod an *Noſtro* adſcribendum ſit, nec ſatis ſcio, nec ſatis neſcio, aliis Eruditorum illud tribuentibus VELSERO, aliis illud eidem abjudicantibus. Eſt autem italico primum ſermone editum: *Squitinio della Libertà Veneta;*

(*x*) In *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabeto I. pag.* 153. *Vitam* REMI deſcripſi.

neta; poſtea in latinam quoque linguam converſum: *Scrutinium Libertatis Venetæ*, aliquoties diverſis formis vulgatum. Refutationem hujus Libelli, quamvis ſucceſſu non admodum proſpero, adornarunt *Theodorus* GRASWINCKELIUS in *Libertate Veneta. Lugd. Batav.* 1634. in 4to. *Scipio* HENRICUS in *Anti-Scrutinio.* italice. *Meſſanæ.* in 8o. 1650. *Raphael de* TURRI *Genuenſis* in *Squitinio della Republica di Venezia ſquitiniato. Genuæ.* 1654. Poſſem hoc loco multa, ad iſtud Scriptum pertinentia, ex variis auctoribus in medium afferre; ſed, quoniam res hæc adeo in incerto eſt, ut, omnibus omnium teſtimoniis ultro citroque propoſitis, plus luminis haud acceptura eſſe videatur, idcirco eam attigiſſe ſatis habeo: obſecrans de reliquo, ut, quisquis meorum Lectorum ſeſe memoratæ controverſiæ judicem facere voluerit, ſequentes Auctores conſulat: *Chriſtoph.* ARNOLDUM in *Præfatione* ad *Opera Marci* VELSERI: *Jo. Chriſtoph.* MYLII *Bibliothecam Anonymorum &c. p.* 239. *Vincentii* PLACII *Theatrum Anonymorum &c. p.* 305. & 648. *Chriſtiani* GRYPHII *Scriptores Hiſt. Sæculi XVII. illuſtrant. p.* 454. *Das groſſe Univerſal-Lexicon. Leipzig. Tom. LIV. p.* 1628. *& ſeqq. Nicol. Hieron.* GUNDLING in *Hiſtor. der Gelahrtheit*, *p.* 535. & 3922. LEIBNITZII *Præfationem* ad *Annal. Boicorum* ADELZREUTERI editionem noviſſimam.

Ejusdem cum *Scrutinio Libertatis Venetæ* commatis ſunt *Virorum illuſtrium Imagines, ex Bibliotheca* PEUTINGERORUM, *per Marcum* VELSERUM, æri inciſæ, quas *Hieronymus* GHILINUS (*y*) memorat.

(*y*) In *Theatro Eruditorum* italice ſcripto, p. 163. Confer *G. G.* ZAPF *Annal. Typograph. Auguſt. p.* 110. ubi enumerantur Viri inſignes in ære cælati.

morat. Eas *ſibi prorſus ignotas* eſſe fatetur *Chriſtoph.* ARNOLDUS (z), &, quod *fortaſſis monitu vel inſtinctu Noſtri per chalcographos Auguſtanos in lucem protractæ fuerint, non attinere* ait, *eas Operibus illius inſeruiſſe.* Neque etiam *Jacob.* BRUCKERUS, qui tamen de *Sanctis Auguſtanis*, ſuperius *no.* 2. diſerte accurateque monuit, vel verbulo hujus Operis meminit. Utcunque ſit, cum idem BRUCKERUS (*a*) inter alias *Noſtri* laudes, etiam hanc reponat, quod rei litterariæ augendæ ergo chalcographis quoque, tum temporis *Auguſtæ* degentibus, conſilio & ope adfuerit, eorumque incæpta magnopere adjuvarit, tum hujus tum ſimilium Operum (*b*) incentorem promotoremque (minime auctorem) fuiſſe *Noſtrum*, vero ſimillimum mihi videtur.

His duobus jungendi *Commentarii in Calendarium Romanum*, de quibus ad *Chriſtoph.* ARNOLDUM (Vide Ejus *Præfationem* ad *Opp. M.* VELSERI) *Joachimus* CAMERARIUS ſubdubitanter ſcripſit in hæc verba: *Videor vidiſſe olim apud Pariſios, in Mazzariniana Bibliotheca Marci* VELSERI *Commentarios in Kalendarium Romanum, cujus exemplar edidit Petrus* LAMBECIUS *e Bibliotheca Cæſaris Vindobonenſi. Ejus libelli an apographum extet apud* VELSERI *hæredes, haud ſcio.* Et in alia Epiſtola ait: *Amicus meus* (*Emericus* ſcilicer BIGOTIUS) *rogabitur, ut Bibliothecam aditurus Mazzarinianam, inquirat in Kalendarium, de quo proxime agebam; ſi illic etiamnum aſſervetur. Nam ex quo mihi a Gabriele* NAUDÆO *exhibebatur, ipſam*

(z) In *Præfatione* ad *Opp. M.* VELSERI a ſe edita, ſub finem.

(*a*) *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit*, p. 71.

(*b*) De aliquibus videri poterunt *G. G.* ZAPF *Annal. Typograph. Auguſt.* p. 112. 114.

ipſam Bibliothecam auctione publica diſtractam fuiſſe, ſed poſtea majori ex parte ad veterem rediiſſe dominum, audiviſti credo. Non niſi hæc pauciſſima de iſtis *Commentariis* ARNOLDUS, dolens, ſalivam tantum motam ſibi per CAMERARIUM. Hinc utrum illi revera extiterint unquam, an adhuc extent, dicere nequeo: cum, licet ſollicita multaque inquiſitione, plane nihil eruere quiverim. Interim *Commentariorum* quidquam *in Calendarium Romanum* meditatum fuiſſe *Noſtrum*, declarant ſatis *Epiſtolæ Noſtri* ad *Joſeph.* SCALIGERUM, quas vide inter *Opp. Noſtri*, *p.* 787. 788. 796. fors etiam *p.* 803. 804.

Iis, quæ de *Vita*, *ac Obitu*, *Dotibus atque Virtutibus*: quæ de *Studiis*, *Doctrina*, *Amicis & Meritis in Litteratos*, *remque univerſam litterariam*: quæ de *Libris* VELSERI dicere habui, *triplici ſectione* expoſitis, reſtat *Adverſariorum Noſtri* memoriam paucis agere. Non eos hoc loco amplius moror, de quibus ſuperius nonnihil attuli, qui, quod ſphalmata *Noſtri* aut reipſa doctis, aut ſaltem ſic creditis animadverſionibus reverenter emendarint, laude potius quam vituperatione dignos ſe fecerunt. De aliis dicendum, hosque inter præcipue de *Franciſco de* ROSIERES Archidiacono *Tullenſi*, qui *Animadverſione* quadam *Velſeriana* (*c*) læſum ſe putans ſub ficto *Leontii* PAMPHILI *Alſatici* nomine *Apologiam*, *ſeu Recriminationem adverſus Scripta M.* VELSERI, anno 1604. publicavit: de qua ipſa ſuperius *no.* 3. dictum. Ineptiſſimas ROSERII nugas CASAUBONI, THUANI, BONGARSII & aliorum ſuaſu (*d*) *ſplendide contemnendas* ſibi cenſuit *Noſter.*

(*c*) Occurrit hæc *Animadverſio* in *Rerum Boicarum* a *Noſtro* ſcriptarum *Libro IV. ad annum* 670. pertinetque ad diplomata *Martini* Ducis, quæ dubiis annumerabat VELSERUS.

(*d*) Vide *Epiſtolam Noſtri* ad *Joſ.* SCALIGERUM, inter *Opera Noſtri*, *p.* 810.

ſter. Quare easdem publica reſponſione nulla dignatus eſt, privato tamen Scripto: *Reſponſe de l'Autheur de l'Hiſtoire de Bavière &c.* cum aulis *Lotharingica* & *Bavarica* (harum namque referebat) communicato refutandas judicavit. Sed & de hac Scriptiuncula ſuperius *no.* 3. dictum abunde. Cauſſam VELSERI publico adverſus ROSERIUM Scripto defendendam ultro ſibi ſuaque ſponte ſumpſit *Chriſtoph.* GEWOLDUS ; de quo ipſo iterum , ſuperius *no.* 3. ſermo injectus eſt (*e*).

ROSERIO ſucceſſit *Philippus* CLUVERIUS , qui multa in Scriptis *Noſtri* cenſoria virgula notavit (*f*). Rectene id an ſecus fecerit , intelligentioribus diſcutiendum relinquo. Illud *Chriſtoph.* ARNOLDO(*g*) mirabile viſum eſt , CLUVERIUM hoc primum biennio poſt mortem *Noſtri* facere, eaque ratione *mortuo leoni* (ut paroemia habet) *barbam vellicare* voluiſſe. Rurſus quendam *Noſtri* Adverſarium, incerti nominis illum , inſigniter depexum dedit *Carol.*SCRIBANIUS, cujus verba allegat ARNOLDUS in *Vita M. Velſeri , p.* 46. Denique hac noſtra ætate *Jacob.* BRUCKERUS (*h*) in *Noſtro* invenit , quod carperet ; ſed id ipſum longius hoc loco perſequi , quod ſtudium partium oleat , nequaquam juvat.

Sic emenſo tandem , quod mihi propoſueram , curriculo, cum *Chriſtoph.* ARNOLDO verbis VIRGILII finio :

Tu VELSERUS eris ; manibus date *Lilia* (*i*) plenis

(*e*) Confer de his omnibus novam Editionem *Annalium Boicorum Noſtri* , a *J. C.* LIPPERTO Equite *Boio* adornatam.

(*f*) In *Germania antiqua* , ubi de *Vindelicia* agit.

(*g*) In *Vita M.* VELSERI , *p.* 54.

(*h*) In *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit* , *p.* 69.

(*i*) Scilicet Inſignia *Velſeriana* exhibent *Lilium.*

Purpureos ſpargam flores, animamque *Beati*

His ſaltem accumulem donis - - - -

VELSERUS (*Matthæus*)

Frater præcedentis *Marci* VELSERI, in lucem (*a*) hanc editus eſt anno a partu Virginis MDLIII. Optimis cum ſcientiis a puero imbutum fuiſſe, ſatis (puto) confirmant, quæ ante a me in *Antonio*, & *Marco* VELSERIS *Noſtri* fratribus allata fuerunt, Virorum ejus ætatis doctorum teſtimonia; quibus excellens, quam indefeſſo ſtudio *Noſter* conſecutus eſt, doctrina maxime prædicatur. Adultior factus, anno MDLXXVII. die vero 6. Februarii (*b*) *Barbaram Enngelinam* matrimonio ſibi copulavit, e qua plurimos liberos ſuſcepit. Mox inſequenti anno (1578.) in Senatum adlectus Reipublicæ commodis ſtuduit. Quadriennio poſt (1582.) una cum *Matthæo* STAMMLERO, D. *Georgio* TRADELIO, & D. *Conrado Pio* PEUTINGERO a Senatu deputatus(*c*), ut Comitiis hoc anno a *Rudolpho* II. *Auguſtæ* celebratis adeſſet, ſuam Patribus operam multum comprobavit. Præterea *Aedilis* munere cum perfunctum in patria fuiſſe (*d*): uti etiam *Conſiliarii Rudolphi II.* Imperatoris, & ſacri Romani Imperii *Quæſtoris* ſeu *Rationalis*(*e*) dignitatem geſſiſſe invenio (*f*).

Hæc

(*a*) V. *Arborem genealogicam Velſerinam. David* LANGENMANTEL *Regiments - Hiſtorie von Augſpurg.* ad calcem.

(*b*) SCHELLENBERGER *Hochzeit-Regiſter* ad hunc annum:

(*c*) Ita docet Perilluſtris *Paulus a* STETTEN *ſenior* in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg, Tom. I. p.* 652.

(*d*) *Arbor genealogica Velſerina. Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Vita M.* VELSERI. *p.* 40. Idem *ibidem, p.*51. de *Matthæo* VELSERO monet, huic, qua *Scholarchæ*, abs *Hieronymo* WOLFIO dedicatas fuiſſe ISOCRATIS *Orationes.* At *Matthaus*, de quo WOLFIUS loquitur, non eſt hic *noſter*, ſed pater ejus: prout annorum computatio clare docet.

(*e*) Vernacule dicitur: *Reichs - Pfenning - Meiſter.*

(*f*) *Chriſtoph.* ARNOLDUS *l. c. p.* 40. *Arbor genealogica Velſerina.*

Hæc tamen omnia impedire nequiverunt, quin eadem, qua ambo fratres *Noſtri*, *Paulus* & *Marcus*, affecti fuerant, rei familiaris calamitate ipſe quoque involveretur. Hinc factum puto, ut anno MDCXIV. ſenatu decederet *Noſter* (*g*). Subin etiam graviora, proh dolor! mala eum corripuerunt; etenim, haud dubie æris alieni cauſſa, in cuſtodiam miſſus annos ſeptem continuos tabuit, usque dum anno MDCXXI. menſe Octobri eadem liberatus eſt, ita tamen ut domo egredi non permitteretur (*h*). Intra triſte illud temporis ſpatium, anno ſcilicet MDCXIX. amiſit uxorem ſuam ſuaviſſimam (*i*), quam ipſe, mortalitate expleta, ſecutus eſt anno MDCXXXIII. Vir, juxta cum fratribus, melioribus ſatis certe digniſſimus (*k*).

Unum a *Noſtro* Scriptum, ſequens illud:

Bedencken des Münz - Weſens halber verfaſst den 14. *Martii*. 1607.

repperi in Opere: *Der Römiſch - Kayſerl. Majeſtät, und der H. R. Reichs geiſt - und weltlicher Churfürſten, Fürſten &c. &c. Acta monetaria. Ex Bibliotheca David.* THOMANI ab *Hagelſtein*. in folio. *Augspurg*. 1692. *P. III. p.* 25.

(*g*) LANGENMANTEL *Regiments - Hiſtorie von Augſpurg*, ad calcem. *Paulus a* STETTEN *ſenior* in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg*, *Tom. I. p.* 811.

(*h*) *Paulus a* STETTEN *ſenior l. c. p.* 842.

(*i*) SCHELLENBERGER *Hochzeit- Regiſter. MSStum.*

(*k*) *Arbor genealogica Velſerina. Dav.* LANGENMANTEL *Regiments - Hiſtorie von Augſpurg*, ad finem.

VELSERUS (*Paulus*)

Frater præcedentis *Marci* VELSERI primam lucem anno MDLV. vidit (*a*). Fratribus ſuis *Antonio*, *Marco*, *Matthæo* ſimilis, a teneris annis ingenium optimarum artium præceptis excolere minime

 negle-

(*a*) *Dav.* LANGENMANTEL *Regiments - Hiſtorie der Stadt Augſpurg.*

neglexit. Adultior autem factus anno MDLXXVII. die 30. Septembris (*b*) *Annam* VEHLINAM (*c*) gente patritia *Auguſtana* prognatam, connubio ſibi ſociavit, ſeſeque regundæ Reipublicæ patriæ devovit. In Senatum ergo anno MDLXXX. adſcitus (*d*), *Conſulatum* poſtea geſſit (*e*). Poſtquam autem Reipublicæ *Auguſtanæ* annos complures inſerviiſſet, demum anno MDCXIV. ſenatoria dignitate abdicata (*f*) ſibi ſexennio vixit, quo elapſo vitam hanc morte commutavit. Obiit autem ἄπαις, anno MDCXX. teſte Epitaphio ſequenti (*g*):

Karitati. æternæ
Paulus. Velſerus. Matthæi. F
Annæ. Vehlinæ. Joannis. F
Dimidio. ſui. et. ſibi
In. mortis. ac. vitæ
Solatium. &. Spem
Titulum. P
Et. Anniverſarium. ſacrum
Circa. Non. Mart. inſtituit
Fuer. in. conjugio. concordes
Ann. XIX. M. IX. D. XXIII
Sine. Liberis
Vix. hæc. Ann. XXXVIII. M. IX. D. XXV
Ob. An. Chr. MDIIIC. A. D. III. Non. Mart
Vix. ille. Ann. LXV. M. VII. D. VII
Ob. An. Chr. MDCXX. D. XXIII. Oct
Melior. eſt. mors. quam. vita. amara

Fuit *Noſter* cum ipſe doctiſſimus, tum doctorum virorum, juxta cum fratribus ſuis, patronus fautorque exi-

(*b*) SCHELLENBERGER *Hochzeit - Regiſter MSStum.*

(*c*) *De Gente* VOEHLINIA videndus *Paulus a* STETTEN *junior* in *Hiſtorie der adelichen Geſchlechter der Stadt Augſpurg*, *p.* 229.

(*d*) *Dav.* LANGENMANTEL, *l. c.*

(*e*) V. Dedicationem *Matthæi* RADERI *S. J.* ad MARTIALEM a ſe editum.

(*f*) *Dav.* LANGENMANTEL, *l. c.*

(*g*) *Dan.* PRASCHII *Epitaph. Auguſt. P. I. p.* 112. Confer *Dav.* LANGENMANTEL, *l. c.*

eximius : quod cum a me ſuperius, in *Antonio* VELSERO Præpoſito *Friſingenſis* Eccleſiæ, ex SCHOTTO & RADERO, abunde demonſtratum ſit, allata ibidem teſtimonia hoc loco repetere ſupervacuum judicans, ad politica litterariaque *Pauli* noſtri monumenta recenſenda progredior.

Extant autem ab illo :

I. *Politiſcher Diſcurs vom Münz - Weſen.* Hanc *Noſtri* lucubrationem, ſcriptam anno 1601. poſteritati ſervavit *David* THOMANUS ab *Hagelſtein*, & ipſe a me inter Scriptores *Auguſtanos* aliquando laudandus : ex cujus bibliotheca, ſcriptis ad rem monetariam S. R. I. ſpectantibus refertiſſima, in Opus tranſiit, cui titulus : *Der Römiſch - Kayſerlichen Majeſtät und des H.R. Reichs geiſt - und weltlicher Churfürſten, Fürſten und Ständen Acta publica monetaria.* in *folio.* 1692. *P. III. pag.* 5.

II. *Bayriſche Geſchicht in fünff Bücher getheilt, darinn begriffen, was ſich mit den Bayrn, von ihrem erſten Anfang bis zu Zeiten Kayſer Carls des Groſſen, verlauffen hat. Durch H. Marxen* WELSER ... *beſchrieben und mit ſeinem Gutheiſſen verteutſcht.* in 4to. *Augspurg. Bey Chriſtoph Mang.* 1607. *Ad inſigne pinus.* Extat in Bibliotheca *FF.* VEITH *Auguſtæ.* Dedicatio a *Paulo* noſtro ad *Maximilianum* Comitem palatinum Rheni &c. anno 1606. 20. Nov. data eſt, in qua indicat, ſe hanc Verſionem juſſu memorati Principis ſuſcepiſſe, utque ea exacta accurataque prodiret, multoties fratrem ſuum *Marcum* conſuluiſſe. Aliam editionem anni 1605. memorat ex SCHELHORNIO *Georg. Gulielm.* ZAPF (*h*) ſed cum Dedicatio *Noſtri* annum 1606. diemque 20. Novembris adſcriptam habeat, uti ſupra dixi, merito ſuſpicor, mendum latere typographicum, locoque 1605. legendum eſſe 1607. De hac Verſione *Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Præ-*

(*h*) In *Annalib. Typographiæ Auguſtanæ*, p. 109.

Præfat. ad *Opp. M.* VELSERI ſequentibus meminit: *Sed ne Verſionis videar oblitus, de hac modo addam, ſimillimum Marci fratrem Paulum videlicet* VELSERUM *eandem Hiſtoriam* (Boicam) *veſte germanica adornaſſe, ceu lato clavo Romanorum non contentam.*

III. *Hiſtoria von Einführung der chriſtlichen Religion in das groſſe Königreich China durch die Societet Jeſu... Aus dem lateiniſchen R. P. Nicolai* TRIGAUTII... in 4to. *Augſpurg. Bey Sara Mangin Wittib.* 1617. Inſcripſit hoc Opus *Noſter Wilhelmo* Comiti palatino Rheni &c. die 7. Sept. 1617. Extat in Bibliotheca *San - Udalricana, Auguſtæ.*

IV. *Publilii* OPTATIANI *Prophyrii Panegyricus dictus Conſtantino Auguſto. Ex Codice manuſcripto Paulli* VELSERI *Patricii Aug. Vind.* in *folio. Auguſtæ Vindelicorum. Ad inſigne pinus.* 1595. Extat item ad calcem *Opp. Marci* VELSERI a *Chriſtoph.* ARNOLDO, *Norimbergæ.* 1682. in *folio* editorum, addito *Spicilegio critico Chriſtiani* DAUMII; quo *Velſeriana* Editio cum *Pithæana* accurate confertur. Miror magnopere, *Jo. Alb.* FABRICIUM (*i*) cum aliis pluribus, hunc laborem *Marco* VELSERO potius, quam *Paulo*, adſcribere; cum tamen *Chriſtoph.* ARNOLDUS in *Præfatione* ad *Opp. Marci* VELSERI, ſub finem, diſtincte moneat: *Publ.* OPTATIANUM *Porphyrium a nobiliſſimo Paulo* VELSERO, *Marci fratre concordiſſimo, in lucem protractum fuiſſe.* Hinc merito *Jac.* BRUCKERUS in Libro: *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit* nequaquam dubitavit, bina adeo vice, ſcilicet *pag.* 68. *n.* (*h*). & *pag.* 71. *n.* (*hh*) præclari hujus, ex vetuſtiſſima antiquitate ſervati monumenti editionem, debitamque inde laudem *Paulo* noſtro conſtanter adtribuere (*k*).

(*i*) In *Bibliotheca latina mediæ & infimæ ætatis, Tom. V. Edit. Manſianæ*, p. 169.

(*k*) Vide *Epiſtolam Marci* VELSERI ad *Joach.* CAMERARIUM, inter ejus *Opp.* p. 846.

2235454 A